deserta, inter extraneos vitam agere cogatur. Tandem probatur ex *l.89.t.1. p. 3.* ibi, *Otrosi promitto por si, y por sus hijos, de morar in tal heredamiento para siempre jamas*: quem textum dicit *Greg.Lop. ibi, verb.Para siempre*, notandum contra ea, quę advertuntur *d. §. Titio centum*. Et ita hanc sententiam sustinent *Host.summ.t. de conjug.servor. n.5. fi. & c.1. qui metr. accus. poss. paulo post princ.* ubi *Jo: And. nu.2. Ant.n.9. Anchar.n.5. Abbas antiquus, Petrus, & communis ibi*, ut refert, & sequitur *ibid. Panor. n.5. Præpos.n.5. Card.c.2. eod. tit. num.3. Alex. de Nevo* sibi contrarius, *dict.c.1.num.5. Henric.c. De illis, de sponsal. nu. 4. Romanus, & Jacob. de sancto Georg.* quos refert *Ant.Gom. 2.var.c.19.n.24. Bart. de Benzelinis. & Andr. Siculus*, quos refert, & sequitur *Jo:Lup.rubr. de donat. §.2.n.3. Bernar.Diaz reg. 800. Rosella, verb. uxor, num.3.* ubi *Angl.n.9. Sylv.q.8. Tabiena q.2.n.3. Armilla, num.6. Villalobos in communibus, littera V. num.125. Greg.Lop.2.t.5.p.4. verb Porque, Navar.sum. c.14. nu. 20. Ant.Gabr.tom.2. commun. in mea edit. lib. 14. verb Pactum fol. 175. & lib.19. verb. uxor., f.472. Practicæ forensi lib.1. t. de matr. §.5. Ant.Cucus lib.5. inst. major. t.11.num.150. Pelaez de Meres de major.1. p. qu. 57. num.2.* Et ex Theologis, *Specul. conscientiæ, tr. 2. cap. 36. §. 1. Pedraza 6. præcepto, §.17. Lud.Lop.1. p. instr. cap. 54. ad fi. Capua lib. 2. decis. cap. 59. num.2. Philiarc. de offic. sacerd. tom.1. p.2. l. 4. cap.19. vers. 6. Manuel 1. tom. summ. c.15. num. 2.*

3 Intellige hanc sententiam, nisi nova recedendi causa superveniat, ob quam viro necessarium sit alio proficisci, ut quia cęlum est minus salubre, vel contraxit in eo oppido inimicitias capitales, tunc enim pacto spreto, quod in eo casu minime intelligendum est, potest alio migrare: argumento *l.Si convenerit, cum duplici seq. ff. pro socio*, ubi deciditur, societatem ex nova causa superveniente dissolvi posse ante tempus præfixum: & ita docent omnes *DD. nu.præc.allegati, & Tiraq.1.connub.gl.1.p.1. n.39.*

4 Quod adhuc verum est, quamvis id pactum juramento firmatum sit, quia esset illicitum, quando ex causa superveniente oporteret virum abesse, & alio migrare, daretur enim utrique conjugi adulterii committendi ansa: quare nec pacto expresse jurato ad id conjuges se astringere possunt, *c. Tua, de iurejur. & c.Veniens, de reg.* sic *Abb.c.Qui matr.accus.poss.n.5. & ibi Alex. de Nevo n. 6.*

5 Ex his infertur, quoties nulla recedendi causa nova supervenit, si vir pactum violet recedendo, astringi pœna pacto adjecta: cum enim pactum valeat, nec pœna aliquo jure reprobata sit, valebit utique: sic *Ant.c.1.Qui matr accus.poss.n.9. & ibi Abb.n.5. Alex. de Nevo, n.6.* Si autem nova recedendi causa superveniat, cum tunc pactum non obliget, non incurretur pœna juxta ea, quæ dixi n.1. fine. Sic docent iidem, & *Tiraq.l.1.connub.gl.1 p.3.n.39. Perez l.14.ord.tit.11.l.29. Pelaez de Meres de major.1.p.q.57.n.7. Azebedo l.6.recop.tit.3.l.29.fi.*

6 2. Infertur, si vir non obstante pacto, absque nova superveniente causa domicilium mutet, uxorem immunem esse ab obligatione ipsum comitandi, hoc est contra authores primæ sent. relatos n. 1. & contra *Calder c.1. de conjug. lepr.* dicentem adhuc teneri virum comitari, quia lex divina astringens uxorem ad sequendum virum, fortior est quocumque pacto. Sed contrarium dicendum est, nec lex divina in hoc eventu obligat. Sic docent *Bernar. Diaz Ang Sylv. Armil. Nav. Villalobos, Ant.Gabr.eod.verb.uxor, Spec.conscientiæ. Pedraza, Capua, Man.n.2.alleg.* Si tamen nova causa superveniat, ob quam licite contra pactum recedit vir, tenetur uxor ipsum sequi in iis casibus, in quibus secluso pacto tenebatur: quia cum tunc pactum non astringat, proinde judicandum est, ac si pactum non esset. Sic *Host.sum.tit.de conjug.ser.n.5.fi. Alex.de Nevo, Ang. Rosel.Sylv.Tabiena, Armil.Nav.Bern. Diaz, Capua, n.2. Phil. Spec. conscientiæ*, quos n.1. allegati. *Tiraquel. & Pelaez de Meres, & Perez & Azebedo, n.5. cit.*

7 3. Infertur, valere conditionem appositam in primogenitis, ut successor sub pœna amissionis majoratus, teneatur in certo loco habitare, quia interest defuncti ad memoriam, & honorem, ut successor moram trahat in loco, ubi domus, & familia sua est, alio enim migrante successore, facilius memoria, nomenque institutoris aboletur. Sic *Pelaez de Meres de major.1 p.q.57. per totam*, late probans; idem docet de melioratione tertii *Azebedo l.5.recop.tit.6.l.11.n.22.* se male refert *Molinam, & Padillam*, quia neuter id dicit. Et hoc intelligendum est, nisi justa causa recedendi superveniat, ut diximus n. 3. de viro & uxore. Sic *Pelaez de Merez n. 5.* Esset etiam justa causa recedendi, si femina in majoratu succedat, & alienigenæ nubat, jussuque viri ad ipsius domicilium migret: quia uxor tenetur sequi virum. Sic *Pelaez de Meres n. 4.* quamvis dicat hoc non carere scrupulo, eo quod femina in culpa fuit alienigenæ nubendo.

8 Id demum observandum est, diversum esse, si testator leget Titio sub conditione habitandi in certo oppido, vel si leget, dum in tali oppido habitaverit, nam in priori casu, rejecta conditione, quæ servitutis speciem continet, debebitur legatum, quando conditio in nullius favorem redundat: ut n. 2. diximus, juxta *l.Titio centum, §.Titio centum, el 2. de cond. & demonstr.* in posteriori vero non rejicietur is modus, quamvis in nullius favorem cedat: non enim invitatur legatarius ad speciem servitutis, sed per modum lucri, ut in certo loco habitet. Sic *Acosta 2. select. c.19.n.5.*

DISPUTATIO XLI.

Utrum cessante pacto, ut vir teneatur in loco uxoris habitare, astringatur uxor ipsum alio migrantem comitari?

SUMMARIUM.

Uxor tenetur sequi virum domicilium mutantem, num. 1.
Non potest contrarium consuetudine induci, 2.
Non tenetur, quando nequit sine gravi detrimento, 3.
Nec tenetur, quando vir pertrahit uxorem ad peccandum, vel exponitur vitæ periculo, 4.
An exigatur, ut ex causa justa vir mutet domicilium, 5.
Quid quando vir vagari vult, 6.
Quid si vir non solitus erat vagari, aut uxor id ignorabat, at potest eam facile sequi, 7.
Quid quando vagatio non est temeraria, sed ex justa causa n. 8. & ibi, quid quando vir votum peregrinationis exequitur.
Quid quando vir solitus erat vagari, & uxor conscia ei nupsit, & adhuc vir vagari velit absque justa causa. 9.
Quid si nolit vir vagari, nec mutare domicilium, sed alio se ad tempus transferre, 10.
Quid quando vir ob delictum exulat, aut excommunicatur, 1. opinio, non teneri uxorem ipsum sequi, n. 11. secunda verior, teneri, 12.
An uxor teneatur alere virum sua culpam bannitum.
An vir teneatur aliquando sequi uxorem alio migrantem, 14.
Quid in hac re distet inter virum, & uxorem, 15.

1 IN triplici eventu potest discuti hæc quæstio I. est, quando vir alio transfert domicilium: & de hoc agetur in 1. conclusione quinque numeris primis. II. est, quando vir vagari per diversa loca intendit: & de hoc agetur concl. 2. a n. 6. usque ad 10. Tertius est, quando nec vir mutare domicilium, nec vagari intendit, sed alio se transfert causa ad tempus ibi moram trahendi: & de hoc agam n. 10. Deinde quando vir sua culpa exulat: & an aliquando teneatur vir uxorem sequi?

2 I. Concl. uxor tenetur sequi virum alio migrantem, ut transferat domicilium: concl. est D. Augustini, & habetur *c.Unaquæque 13.q.2.* ibi: *unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte*, & ratio est, quia conjuges tenentur ad mutuum obsequium, quod præstare sibi nequeunt, nisi simul habitent, & cum vir sit mulieris caput, *Ephes. 5. & 1. ad Cor. 11.* infertur, uxorem in hac cohabitatione subditam esse viro, *l.Sicut, 48.ff.de oper. libert.* ibi *nam hæc, cujus matr. consensit, in officio mariti esse debet*. De hac concl. nemo dubitat: & cum materia gravissima sit, tenetur ad hoc uxor sub culpa lethali, ut bene *Nav.sum. c.14. n.20. Capua l. 2.decis.c.59.art.2. Philiarc.de offic.Sacerd.1.to.p.2.l.4. c.19. vers.6. Manuel 1. tom.sum.c.15.n.2.*

3 Hoc adeo verum est, ut contraria consuetudo, tanquam juri divino adversa, nihil prosit: sic *gl. c. 1. de conjug. lepros. verb. de consuetudine*, ubi *Abb.n.3. Alex.de Nevo n.4. & 6. Præpos. num. 2. & 3.*

4 Excipe tamen, nisi uxor absque gravi detrimento virum sequi non posset, tunc enim ipsum sequi non teneretur, sicut nec debitum reddere cum notabili salutis jactura: sic *Sotus 4.d.35.q.unic. art.1. ad finem.*

5 2. Excipe, nisi vir vellet uxorem pertrahere ad peccatum, aut gravi vitæ periculo uxor virum sequens exponeretur. tunc enim ad id non astringitur: cum urgentior sit præceptum abstinendi a peccatis, vitamque tuendi. Sic *Rosel.verb.Uxor n.3.* ubi *Ang.n.9. Sylv.q.8. Tabiena q.2.n.3. Armilla n.6. Nav. Capua, Philiar. num.1. allegati, Spec. conscientiæ tr.2.c.36. §.1. Pedraza sum. præcepto 6. §.17. Lud.Lop.1.p.instruct.c.54. ad fi.* Hinc fit, ut uxor probabiliter timens fore, ut necetur a viro extra territorium, minime teneatur ipsum sequi; ut bene *Nav.l.4.cons. utraque edit. tit. de divort. cons.2. n.4.*

6 Difficultas tamen est circa hanc concl., utrum desideretur causa justa in viro mutante domicilium, ut uxor teneatur eum sequi. Nam eam desiderari affirmat *Alex.de Nevo, c.De illis, n.11.de spons. & c.1.n.7. qui matr.accus.poss.* Sed omnino tenendum est astringi uxorem præcepto comitandi virum, qualitercumque velit transferre domicilium, modo non ex causa turpi, & inhonesta. Prob., nam alias nulla esset differentia inter virum & uxorem, quod absurdissimum, & contra omnium mentem esset: cum quando causa necessaria subest ex parte uxoris, teneatur vir ipsam sequi, ut dicemus n. 14. Item quia cum vir sit caput, ipsius est gubernare, & eligere domicilium, non autem uxoris, quæ gubernationi viri subest: ergo quomodocumque vir eligat aliud domicilium, modo non ob turpem causam, tenetur uxor virum sequi. Sic *gl.c.1. de conjug.lepr.verb.sequatur, Host. ibi super eod.verb. Innoc. n. un. Ant.n.11. Anch.n.6. Abb.c. De illis, n.4. de spons. Guillermus* quem refert & sequitur *Rosella, verb. uxor, n. 3. Lancellotus instit. juris can.tit. de spons.verb. Migrare.* Pro eadem sent. sunt *gl.c.unaquæque, verb.Sequatur, 13.q.2. Ang.verb.uxor, n.9.* ubi *Sylv. q. 8. Tabiena, q.2.n.3.* ubi docentes uxorem teneri sequi virum mutantem domicilium, solum excipiunt, quando ex causa inhonesta, & turpi mutaret.

7 II. Conclusio, si vir velit non habere certam sedem, sed hinc inde vagari, distinguendum est, aut enim tempore contracti matrimonii minime vagari solebat, aut si solebat, id uxor ignoravit: & tunc non tenetur eum sequi: gravissimum enim onus est ipsam ad vagandum astringere: aut vagari solebat, nec id latuit uxorem, & tunc tenetur eum sequi: quia mores ejus videtur approbare, & ad hoc onus se obligare, & ita intelligi debent *gl.in 1.conjug.lepr.verb.Sequatur, & ibi Innoc.n. unic. & Ant.n. 11. idem Innoc. c.De illis, n. unic. de spons.* ubi dicunt uxorem non teneri sequi virum vagantem; hanc conclusionem tenent *gl.c.unaquæque, 13.q.2.verb.Sequatur, & c.Si quis necessitate, verb.Eum, 34.q.1. Host.c.1. qui matr.accusat. poss. paulo post princ. Abb.c.De illis, n.4. de spons. Henr. ibi n. 3. & 4. Alex. de Nevo n.9. Præp.n.3. Anch. c.1. de conjug. lepr. in 6. Additio ad gl. l. Mævia, §. Uxore, ff. de annuis leg. Cynus l. 1. C. de uxor.mil. & l.Liberti, C. de oper.libert. Bart. d.l. Mævia §. Uxore, n.3. Bald.l. Qui manumittitur, n.1. C. de oper.libert. Alex.l. Si cum dotem, §. Si maritus, n.4. ff. sol.matr. Ang. inst. ad S.C.Tertul. §.1. n.12. Guillerm. de Cuno l. observare, §. proficisci, ff. de off. procons. Jo: de Immol. ff. s. matr. in rub.n.7. Guill.Benedictus, c.Raynutius, Verb. Cuidam Petro, n.89. de testa. Corsetus in singul.lit.V. verb. Vagabundus, Tiraq.l.1.connub.gl.1.p.1.n.39. Bern. Diaz reg. 800. & ibi Salzedo in addit. Jo:Lup.c. Per vestras, de donat. inter vir. & ux. in princ. §.9.n.13. Montalvus l.11.tit.1. l.3. fori, Turrecr.c. Si quis necessitate, n.134. q.1. Ros.ver. Uxor, n. 3.* ubi *Ang. l.9. Sylv.q.8. Tabiena q.2.n.3. Arm.n.6. Nav. sum.c.14.n.20. Covar. 4.decr.2. p. c.7 init. n.5. Perez l.4. ord. tit.11. l.29. Menoch. l.2. de arbitr. cent.5. casu 469.n.4.5. & 7. A.Cucus l.inst.maj.t.11.n.149. & seq. Lancel.inst. juris can.l.2.tit. de spons.verb.Migrare, Azebedo l. 6.recop.t.3.l.29.fi. Gratian.reg.499.n.18.* & ex Theologis, *Pedraza sum.6.præcepto, §.17. Capua l.2.dec.c.59.n.3. Phil. de off. Sacerd.1. t.p.2.l.4.c.19.vers.6. Lud.Lop.2.p.instruct.de matr. c.54 fin. Manuel 1.t.sum.c.15.n.2.*

8 Intellige tamen priorem partem conclusionis, ut uxor non teneatur sequi virum non solitum vagari, vel dum ipsa ignorabat, ut vera sit, nisi facile posset uxor ei sociam se exhibere: tunc enim teneretur sequi, quia ex una parte urget lex matrimonii præscribens mutuam conjugum cohabitationem, & multa adulterii pericula utrinque ex separatione, ex altera autem facilitas, ut eam legem uxor servet, periculaque evitet: sic docent *Bald. Tiraq. Perez num.præced. alleg.*

9 Intellige 2. eamdem priorem partem quando vagatio temeraria esset, nullaque justa ratione fieret, secus quando non temere, sed juste vir vagari vellet. Sic *Cov. Ant.Cucus n.149. Lud.Lop. & Man.cit.n.6.* Sed hic intellectus non placet, quia adhuc est gravissimum onus astringere mulierem ad continuo vagandum, & pro hac parte est expresse *Præp.c.De illis, n.3. de spons.* ubi docet uxorem teneri sequi virum, quando est brevis vagatio, & ex honesta & necessaria causa, secus quando est longa, nisi solitus esset vagari uxore id scienti. Pro eadem sunt *Host.c.1.de conjug.lepr. & Abb.c. Quod super de voto, n.8. Henr.d.c.De illis, n.4.* ubi *Hostien. & Henric.* asserunt, non teneri uxorem sequi virum transfretantem ratione voti implendi: & *Abb.* dicit non teneri eum sequi votum peregrinationis exequentem, cum tamen hæc sit justissima causa: intellige tamen Abbatem, quando peregrinatio esset longa, quando enim brevis est, tenetur utique, ut docent *Bart. & add. ad gl. Ang. de Aretin. Præp. Menoch. n.5.* ubi eos retuli. n.6.

10 Intellige 3. secundam conclusionis partem, ut uxor teneatur sequi virum, quando ipsius consuetudinem vagandi noverat, ut vera sit, si vagari velit ex causa honesta. Sic *gl. c.Si quis necessitate, verb.Eum, 34.q.1. Guil. Benedictus, Præpos. Turrecr. Rosel. Ang. Tabiena, Armil. Azebedo, Philiarc. relati n.6. Spec. conscientiæ, tr. 2. c.36. §.1.* sed hoc intelligitur, quando non est inhonesta, & turpis vagandi causa, tunc enim cum vir vagando peccet, non tenetur uxor ejus peccato consentire: & ita eplicant hoc *Rosel. Ang. Sylv. Nav. n.6. alleg. Arm. verb. Uxor, n.6. Spec. conscientiæ pro. citat.*: si enim causa vagandi non sit turpis, licet non sit necessaria, imo temere, & absque causa vir vagari velit, tenetur uxor, quæ ejus consuetudinem noverat, ipsum sequi. Sic *Cov.4.decr.2. p. c.7. init. n.5. Ant.Cucus l.5. instit.major c.11.n.149. Lud.Lop.1. instr. de matr.c.54. fine, Manuel to.1. sum.c.15.n.2.*

11 Difficultas tamen est, quando nec vir omnino eligit domicilium mutare, nec vagari, nec solum peregrinari, sed alio se transfert causa ibi ad tempus commorandi, & eo transacto ad domicilium redeundi. Quidam enim absolute dicunt, non teneri sequi, nisi domicilium transferat. Sic *Rosel.verb. Uxor, n.3.* ubi *Ang.n.9. Sylv.q.8. Tab.q.2.n.3. Armal.6. Padraza sum. præcept.6. §.7. Spec. conscientiæ tr.2. c.36. §.1.* Credo tamen non sentire hos DD. solum teneri sequi, quando omnino domicilium mutat animo non redeundi, sed tantum velle dicere non in quavis peregrinatione, vel itinere teneri sequi: quod etiam diximus n. 8. fine: atque ita statim tanquam exceptionem subdunt, nisi vir hinc inde velit vagari: quare dicendum est, si vir alio migret animo cito redeundi, & peregrinatio esset longa, non teneri uxorem eum sequi: ut dixi n. 8. fine: si vero animo commorandi ibi ad longum tempus, teneri utique ad eum comitandum: & ita docet *Henr. c. De illis, de spons. n.3.* ubi *Alex. de Nevo n.9.* Et videtur tenere *Abb. ibid. n.4.* dicit enim uxorem teneri sequi virum absque aliqua causa mutantem domicilium, & similiter quando ex causa justa transfert se ad alia loca. Unde hæc constituenda est differentia, dum vir mutat domicilium, vel dum transfert se ad tempus longum, statim rediturus eo tempore transacto, ut in priori casu nulla causa desideretur, ut probavi, n. 5. in posteriori vero ea necessaria sit: ut sentiunt authores allegati.

12 Urgentior tamen dubitatio, est quando vir ob delictum in exilium mittitur a domicilio: quidam enim dicunt uxorem non teneri ipsum sequi, quia par non est, ut uxor innocens patiatur incommodum culpa viri, ob alienumque delictum puniatur, sic docent *Bal.l. si cum dotem, §. Si maritus, n.1. ff. sol.matr.* ubi *Immol.n.17. fine, & rubr. ff. eod. t. n.7 Al. l. Mævia, §. fi. ff. de annuis legatis, Additionator Bart. ea l. Mævia, §. Uxore, super verb. Format*, & refert pro se *Odofredum, & Alber. Jo: Lup.cap. per vestras, de donat. inter vir, & uxor in pr. §.9. n.13. Enriquez l.11. de matr. c.10. nu. 4.* ubi idem dicit, quando vir excommunicatus est.

13 Sed probabilius est teneri sequi. Quia uxor debet sequi viri infortunium, *l.Si cum dotem, §.Sin autem, ff.solut. matr.* & ita viro excommunicato cohabitare tenetur, *c. Inter alia, de sent. excomm.* & ei tenetur debitum reddere, *c.Quoniam multos 11.q.3.* Nec hoc est puniri uxorem ob viri delictum, sed pęna imponitur viro, & quia uxor jure divino tenetur eum sequi ex causa necessaria, & inevitabili, alio migrantem, per accidens id infortunium patietur uxor: veluti servus mariti idem exilii infortunium pateretur, dominum comitans, non per modum pęnæ, quia innocens est, sed quia jure servitutis tenetur dominum sequi. Sic tenet *Gl.c.1. Qui matr. accus. poss. verb. Exiit, juncto textu*, agit enim textus de viro, qui exiit a civitate ob homicidium admissum, & ita culpa sua, & ait *gl.* tunc teneri uxorem virum sequi: idem *Host. ibi super, eod. verb. Jo:And.n.2. Ant.n.9. Abb.n.5.* & expresse de viro misso in exilium ob delicta, tenent *Hugo, c.Si quis necessitate, 34.q.1. Goff.* quem refert, nec improbat *Jo:And.c.1. Qui matr. accus.poss. n.7. Ant.c.De illis, in fi.de spons.* ubi *Henr.n.3. & Alex. de Nevo n.11. idem Alex.de Nevo c.1. Qui matr.accus.poss.n.7.* ubi *Anchar. n.4. & 5. Bossius referens Cepola pract.crim.t. De crimine læsæ majest.n.32. & t. De bonorum publicat.n.74.* qui idem dicit de viro excommunicato: & satis expresse id videtur dicere *Specul. tit. de dote post divortium restituenda, §. Formatis, n.20. vers. Quid si vir est in banno*, ubi hæc ait, *Uxor communicabit viro si est in excommunicatione, vel in banno.*

14 Hinc fit contra *Gl. l. si Stipulata, in fi. verb. Contra sexus naturam, ff. de donat. inter vir. & uxo.* si vir culpa sua banitus inops sit, teneri uxorem eum alere, *l.Mutus, §.Manente, ff. de jure dot.* & docent *Gigas, de crimine læsæ maj.q.21.n.4. Cephalus cons.324. n.14. l.3. Duenas, cont.alios reg.68. lim.10. Spec. & Bossius n. præc. alleg. Jul.Cl. l.5. recept. in pract.crim. §.fi. q.84. stat.2. vers. Item quęro, Ant.Gab.t.2.comm. in mea edit. l.9. f. ult. totius tomi*: hæc autem obligatio alendi ex fructibus dotis, si hi satis sint, sin autem bonis paraphernis: ut docent *Ant.Gabr. & Jul.Clar. ibid.*

15 Ultima conclusio, quando uxor ex causa necessaria recedit a domicilio, illud transferens, tenetur vir ipsam sequi, quia quoad mutua obsequia conjugalia pares sunt. Sic *gl. c. 1. de conjug. lepr. verb. Sequatur*, ubi *Host. super eo. verb. Innoc.n.unic. Ant.n.11. Anch. n.6. Henr. c. De illis, n.4. de spons.* ubi *Alex. de Nevo n.12. Guillermus*, quem refert, & sequitur *Rosella, verb. Uxor, n.3.*

16 Ex dictis infertur in hoc consistere differentiam inter virum, & uxorem quoad comitandi obligationem: ut cum vir caput sit, ipsiusque sit gubernare, possit ad libitum eligere domicilium, & uxor teneatur eum comitari, uxor autem cum subdita sit, nequeat habitationem eligere, & virum cogere, ut ipsam sequatur: dum tamen necessitate coacta domicilium mutat, jus matrimonii compellens virum cohabitare uxori, consequenter compellit, ut in eo eventu ipsam comitetur, quia hoc spectat ad mutua obsequia conjugalia, in quo pares sunt.

DISPUTATIO XLII.

Utrum per religionis ingressum, professione non secuta, dissolvantur sponsalia?

SUMMARIUM.

Prima sent. non dirimi, nisi professione secuta num. 1.
2. Verior dirimi, 2.
Quid si fraudolenter ingressus fiat animo exeundi, 3.
An non tantum ex parte manentis in sæculo, sed etiam ex parte novitii dissolvantur. 1. opinio, solum dissolvi ex parte manentis in sæculo, 4.
2. Verior, ex parte utriusque dissolvi num. 5. fraus nemini patrocinari debet, & quid si uterque ingrediatur religionem, & exeat, ibid.
Et solvuntur argumenta, 6.

1 HActenus egimus de conditionibus ad sponsalia constituenda requisitis, & de eorum obligatione: superest tandem in hac ultima parte, de eorum dissolutione disputare. Circa quæst. ergo propositam duplex est sent. I. docet sponsalia non dirimi religionis ingressu, nisi professione secuta, quare si tempore novitiatus sponsus religionem deserat, teneri utrumque fidem sponsalium servare, quia ingrediens non statim jure suo cedere videtur, sed sub ea conditione si professus fuerit, cum experiendi gratia ingrediatur, an sibi expediat sponsalia perficere, vel potius religionem profiteri. Hanc sent. videntur expresse tenere *D.Th.4.d.27.q.2.a.3. ad 1. Tabiena, verb. spons. q.9. n.10.* dicunt enim dirimi per ingressum, quia est mors spiritualis: quam tamen

solam professionem esse constat: videtur etiam tenere *Richardus 4.d.27.a.3.q.4.* dicit enim solvi per ingressum, eo quod is dirimat matr. ratum: quod de sola professione verificatur. Et eam expresse tenent ex Theologis *Durand.4.d.27.q.3.a.2. & ibi Palud.q.1.a.3.casu 5. vers.de ordine vero religionis n.23. Celaja ibi, q.3. Viguer.lib. instit.c.16.§.7.vers.7. Veracr.1.p. specul.art.21. casu 1* & dicit esse probabilem *P. de Ledes. de matr. q.43. art.3. dub.2.* Et ex Jurisperitis *Armill.verb. Sponsalia, nu.12. Covar.4. decr.1.p.c.5. initio, n.11. vers.6. Brunellus de sponsal. concl 8.n.1. Alex.Carrier.lib.1. de spons.c.15. Costanus de sponsalibus, t. Effectus sponsalium, n.8.* (hi tres habentur tom. 9. tract.) *Ant. Cucus l.5. instit. major.t.10.n.57. Turrecr. Ubi non est, 30. q.2. a.4. n.5.* Et est satis probabilis sent. Unde subdit *Palud.* ingressum ante professionem sufficere, ut manens in sæculo possit judicem adire, qui ex causa justa facultatem concedere poterit aliud ineundi matrimonium, sed inconsulto judice, vel eo denegante facultatem, minime posse, sed teneri alterius professionem expectare.

2 II. Sent. multo probabilior affirmat per solum ingressum ante professionem dirimi, & proinde statim posse manentem in sæculo aliud matr. contrahere, & omnino solutum esse a priori fide data. Prob. quia eo ipso, quod quis religionem ingreditur, satis declarat se sponsalibus renunciare, ergo manens in sæculo ab obligatione exemptus est. 2. Quia ea personæ mutatio notabilis est, magno enim dedecori tribuetur feminæ, si illi, qui monachus fuit, nubat, & e contra viro, si monialem ducat. 3. Quia sic se habent novitiatus, & professio, sicut sponsalia, & matrimonium, ille enim dispositio est, & via ad professionem, hæc autem ad matr.: ergo sicut professio dirimit matr. ratum *c.Ex publico, de convers. conjug.* ita novitiatus sponsalia. 4. Quia non est æquum tantum deferri sponsalibus, ac matr. rato, cum ergo ad hoc dissolvendum sufficiat professio, minus ad illa dirimenda desiderabitur. Hanc videtur tenere *Innoc.c.Veniens, qui cler.vel vov. init. super verb. Votum, & ibi Host.super eod.verb. Jo:And.& Anch.n.1.* ubi dicentes non dirimi sponsalia per votum a sponso emissum, subdunt secus esse, si professionem fecisset, vel habitum sumpsisset. Et tenent ex jurisperitis *Arg.verb. Sponsalia, n.22.* ubi *Sylv.q.10.cas.2. Nav.sum.c.22. Hisp.n.23. Lat.n.26.cas.2. Greg.Lop. l.7.verb. Excusacion t.1.p.4.* Et ex Theologis, *Sot.4.d.27.q.2. a.5. vers.Hoc tamen, Cord.sum.q.136 punct.1. Barth.a Ledes. de matr. dub.13.cas.1. Enriq.l.11 de matr.c.14.n.3. Vivald.candel.1.p.t. de spons.c.5.n.40. Lud.Lop.2.p. instr. de matr. c.38.f.1044. Petr.Ledes. de matr.q.43.a.3.dub.2. Philiarc.de offic.sacerd.t.1.p.2.l.2.c.1. Manuel 1.t.sum. in 2.edit.c.245.n.1. Vega l.3. sum. casu 323.*

3 Hanc sent. intelligunt aliqui, ut vera sit, nisi ingressus religionis fraudulenter fiat, animo egrediendi, ad defraudandum alterum sponsum. Ita *Bart. a Ledes. Man. & Vega. ibid.* Sed hæc moderatio non est necessaria, ut manens in sæculo liber sit, & potius tunc certius est eum liberum manere, quia constat alterum renunciare sponsalibus, cum ad hoc ingrediatur, ut ab ipsis resiliat. Utrum vero ipse ingrediens tunc liber maneat, dicemus n.5.

4 Superest adhuc difficultas inter Doctores hujus secundæ sententiæ, an per ingressum religionis professione non secuta, dissolvantur prorsus sponsalia ex parte utriusque? Quidam enim id negant, asserentes dissolvi ex parte manentis in sæculo quare si ingrediens habitum deserat, liberum erit manenti in sæculo matrim. perficere; eo tamen volente tenebitur alter contrahere: sicut per fornicationem sponsi non omnino sponsalia dirimuntur, sed solum ex parte innocentis. Quia quamvis ingrediens cedat juri suo, manens in sæculo minime cedit. Item 2. notabilis mutatio est ex parte ingredientis, quam manens in sæculo pati potest, ultro eligens matr. 3. quia non est æqua ratio, ut novitiatus omnino dissolvat sponsalia, sicut professio matr. ratum: quia in hoc casu invenitur concessum a Christo hoc privilegium, eo quod in professione est traditio, at in novitiatu, & sponsalibus non invenitur tale privilegium: Præterea 4. non eodem modo se habent, nam in novitiatu nulla includitur obligatio professionis emittendæ, qualis est in sponsalibus respectu matrimonii. Tandem, quia omnia vota simplicia, quæ obligationem continent, extinguuntur per professionem, minime autem per novitiatum, sed suspensa manent, ergo similiter sponsalia, quæ matrimonii obligationem includunt, non dissolventur omnino per novitiatum, sed suspendentur ex parte ingressi. Et hoc est probabilissimum, & ita docent *Petr. de Ledes., Enriquez, Manuel, alleg. n.2.* & bene hoc moderantur *Petr. de Ledesm. & Enriquez*, nisi manens in sæculo, jam alia sponsalia contraxisset: tunc enim videretur jure suo pariter cedere.

5 Sed verius reputo, omnino ex parte utriusque dissolvi, quando sponsus bona fide ingreditur religionem, ut communiter fit, secus si dolose, & animo statim exeundi: fraus enim nemini patrocinari debet, *c.Ex tenore, de rescript.* Quare sicut manens in sæculo potest libere aliud inire matr. ita similiter novitius ille si habitum deserat. Prob. quia quamvis expressum non inveniatur, ut novitiatus omnino dissolvat sponsalia, sicut de professione respectu matr. rati, at ex quadam proportione, & similitudine duci potest arg. ut sicut per professionem, per quam consummate aliquis religiosus efficitur, dissolvitur omnino matr. ratum, sponsalia consummans: ita per novitiatum, qui initium quoddam est professionis, & per quam novitius initiative (ut ita dicam) fit religiosus, dirimantur omnino sponsalia, quæ matrimonii initium sunt. Et confir. quia hæc dissolutio non solum provenit ratione notabilis mutationis, nec ratione renunciationis sponsalium, sed favore status, sicut favore status professionis dirimitur omnino matrim. ratum, non autem ratione repugnantiæ, aut notabilis mutationis; alias dicendum esset matr. consummatum similiter dissolvi per professionem: quod hæreticum est. Et confirm. amplius, quia licet ingrediens religionem, protestaretur se nolle sponsalibus renunciare, usque ad professionem, & licet uterque simul ingrederetur, in quo casu cessaret notabilis mutatio, cum in utroque æqualis sit, adhuc dissolverentur sponsalia: ergo favore status provenit dissolutio. Tandem, quia votum religionis dirimitur per ingressum bona fide animo permanendi, ita ut si vovens egrediatur, experiens eum statum sibi non convenire, liber maneat: ergo talis ingressus sat est ad dirimendum omnino sponsalia: major enim est obligatio voti religionis, quam sponsalium, cum ea dirimat, secundum omnes. Hujus sent. videntur ceteri authores 2. sent. allegati n. 2. qui demptis tribus, quos n. 4. retuli, indistincte sentiunt per novitiatum dissolvi sponsalia: tenent expresse aliqui Neoterici doctissimi.

Ad arg. proposita n. 4. respondetur, ad 1. & 2. constat ex dictis, quia ea totalis dissolutio provenit favore status. Ad 3. & 4. fateor non inveniri expressum, nec in omnibus esse similitudinem: sed ex quadam proportione, & similitudine ducitur argum., ut explicui. Ad ultimum nego conseq. dispar enim est ratio: vota enim simplicia non extinguuntur ratione status, & illius favore, sed quia professio est mors quædam spiritualis, & profitens quasi novus homo resurgit: at sponsalia, & matrim., favore status, non autem quia professio mors spiritualis sit: alias dissolveret etiam matr. consummatum, & si argum. aliquid probaret, convinceret ex parte neutrius dissolvi sponsalia: quod contrarii etiam negant. 6

DISPUTATIO XLIII.

Utrum casus præcedens verus sit, licet sponsalia juramento firmata sint: ita ut jurans sponsalia possit non contracto matrimonio, ingredi religionem?

SUMMARIUM.

In quo versetur difficultas, & quot quæstiones disputandæ sint, num. 1.
An jurans sponsalia possit non petita relaxatione juramenti, religionem ingredi. 1. opinio, teneri prius contrahere, n. 2.
Secunda verior, 3.
Quid si urgeat necessitas prius contrahendi matrimonium, 4.
Solvuntur argumenta, nu. 5. & ibi juncto nu. 10. explicatur c. Commissum, de sponsal.
An qui sic juravit sponsalia, si postea emisit votum religionis, contrahere possit animo firmissimo ingrediendi ante consummationem religionem, 1. opinio posse num. 6. etiam, qui vovit castitatem, an possit uxorem ducere animo ingrediendi ante consummationem.
2. Sentent. verior non posse, ubi etiam de voto castitatis. 7.
An saltem liceat prius contrahere ad vitandum scandalum infamiam, aut vitæ periculum: aut dum includitur virgo, nec aliter religionem ingredi potest, n. 8. aut dum uterque castitatem vovere proponit, ibidem.
Quid post votum castitatis contrahit animo ingrediendi religionem ante consummationem, an teneatur ad id, & absolutus virtute jubilæi a reservatis, teneatur requisita ad illud consequendum implere, num. 9. & solvuntur argum. qu. 2. num. 10.
An qui juravit sponsalia, nec votum postea emisit, possit ducere uxorem, animo ingrediendi religionem ante consummationem, ponitur opinio affirmans, 11.
Sententia negans verior, 12.

Tota difficultas hujus quæst. versatur in *c.Commissum de sponsal.* intellectu, ubi consultus Pontifex de hac qu. sic respondit: *Tutius est ei, religione juramenti servata prius contrahere, & postea si elegerit, ad religionem migrare*: unde eo tendit, ut vis juramenti explicetur, an tanta sit, ut cogat ad prius contrahendum matrimon. quamvis eo contracto liberum sit juranti sponsalia, religionem ingredi: & in hac disputatione solum vis est in juramenti religione, si enim intercedit virginis defloratio; & infamia, dicam disput. seq. Triplex igitur quæst. disputanda est. I. an sic jurans sponsalia, teneatur, ante religionis ingressum, contrahere? II. Esto non teneatur, possit tuta conscientia, quamvis postea votum religionis emiserit, contrahere animo ingrediendi religionem, ante consummationem? III. An saltem quando nullum votum emisit, possit eodem animo contrahere? 1

I. Quæstio est, an qui sponsalia juravit, possit ingredi religionem matrimonio minime contracto, vel teneatur prius contrahere, ut juramentum servet? Duplex est sententia I. docet teneri prius contrahere, & posse ante consummationem ingredi religionem. Probatur 1. ex *dict. cap. Commissum*, ubi hoc dicitur tutius ob religionem juramenti. 2. Quia qui juravit se soluturum usuras, licet post solutionem possit repetere, at ob reverentiam juramenti tenetur prius eas solvere, ut habetur *cap. Debitores de jurejur.* 3. Quia juramentum factum in favorem tertii, cui est jus acquisitum, non potest in melius commutari, ut si juravi Petro me daturum illi 100. aureos, non satisfacio si pauperiori dem mille. 4. Quia qui tenetur solvere debita si solvendo est, tenetur prius ea solvere, quam religionem ingrediatur, secundum omnes, sed hic per juramentum contrahendi acceptatum a tertio est illi debitor, potestque implere citra religionis impedimentum, prius contrahendo, & deinde ante consummationem, ingrediendo religionem: ergo tenetur. Pro hac sent. citatur *Sot.4.d.30.q.2. ante solut. ad 1.* Sed tantum dicit, voventi castitatem post sponsalia jurata, videri consulendum, ut prius juramenti fidem servet contrahendo matr. Sed hanc sent. tanquam probabilem defendit *Ricard.4.29.a.2.q.4.* & eam tenent *Navar.c. Non dicatis, 12.q.1.n.3. & in operibus novis, cap. Qui portio 12.q. 1 n.8. Ledes.2.p.q.45.a.3. Majolus l.1. de irregul. c.34. n.7. Angles Floribus 2.p.q.11. de imped. matr.* ubi de voto *a.3.dub.1.f.591. Vega lib.1. sum. casu 389.*

3 II. Sent. tanquam verissima tenenda docet posse religionem ingredi non contracto matr. Prob. 1. quia *c. Commissum, de spons.* tantum dicit tutius esse prius contrahere matr. & proinde licet ut sonat, velimus intelligere, solum consilium importat, ergo potest tuto oppositum fieri, 2. quia juramentum sortitur naturam, & conditiones actus super quo interponitur, *c. Quemadmodum, de jurejur. & l.fin. de non num. pecun.* unde conditio tacite in actu inclusa, includitur similiter in juramento, sed promissioni matrim. inest tacita conditio, nisi promittens religionem elegerit, ergo & juramento constat minor, quia ipsimet matr. rato inest hæc conditio, alias non liceret ad religionem transire: nedum ipsis sponsalibus: & proinde cum ingrediens religionem, conditionem impleat, non erit perjurus, minime contrahendo 3. quia frustraneum omnino est contrahere matr. ingrediendo religionem statim, cum sit deludere feminam, quæ hujus animi conscia, omnino renueret tale matrimonium: nec momentanea illa solutione revera impletur juramentum: quoties enim nulla est in creditore turpitudo, juramentum firmat contractum, nec impletur momentanea solutione: ut probavimus disp. 32. n. 14. eo vel maxime, quia dum illi feminæ se contracturum juravit, animus in matrim. permanendi adfuit, & sic a femina acceptatum est juramentum. Et ideo hanc docent *Gl. d. c. Commissum, verb. Tutius, & ibi Innoc. nu. un. Host. super eod. verb. Jo. Andr. n.6. Card. n.1. Anchar. n.6. Ant. n.9. Abb. n.4. Alex.de Nevo, nu.9. & 10. Præpos.nu.4. & 5. Ang. Juramentum 4. nu.3. Sylvest. Juramentum 3. q. 5. & religio 2. q. 5. & 9. Tabiena, verb. sponsal. q.9. n.10. casu 1.* ubi *Armilla num. 12. Navar. lib. 3.cons. t. de voto in priori edit. cons. 6. fin. in posteriori, cons. 3. fine, Covar. 4. decr. 1.p.c.5.init. nu.11. Ant. Cucus l. 5. instit. major. t. 10. num. 57. Alex. Carrer. l. 1. de spons.c. 15. Lancel. inst. juris canon. l.2. t. de sponsal. verb. Consultius*: & ex Theologis, *Ricard. 4. d. 29. a.2. q. 4. Palud. 4. d. 27. q. 1. a.3.n.22. vers. Quinto de spons. & d.28. q. 1. fi. 18. & 19. Cajet. sum. ver. Perjurium promissorum, c. 2. circa fi. vers. intellige Sot. 4. d. 27. q. 2. a. 5. vers. Dubium hic Ledes.2.p.4.q.53.a.2.f.468. col.4. Corduba sum. q.136. fi. Enriq.l.11. de matr.c.13. n.3. & c.14. n.3. Lud Lop. 2. p. instruct. c.38. de matr. f.1044. Petr. de Ledes. de matr.q.43.a.3.dub.1. diffic. 2. Manuel 1.t.sum.3.edit.c.244.n.5. Vega lib.6. sum. casu 41.*

4 Hæc tamen sent. intelligenda est, nisi necessitas urgeret ad prius contrahendum, tunc enim teneretur, & ante consummationem posset ingredi religionem: ut si ita decori feminæ satis consuleretur, vel proles ex ea nata, legitima efficeretur. Sic *Enriquez d.c.13.n.3. Petr.de Ledes. proxime cit.* Hæc tamen obligatio non consurgit ex juramenti viribus, sed ad reparandum damnum. De qua re latius disp. sequenti.

5 Ad 1. arg. ad *cap. Commissum*, respondet *Gl. Abb. Ricard. Sot. Ang. Sylv. Lancelot. n.3. allegati*, Pontificem intelligere tutius esse prius contrahere, non secundum rei veritatem, sed juxta vulgi opinionem existimantis illum esse perjurii reum, nisi prius matr. ineat. Sed hic intellectus displicet, si enim Pontifex de falsa vulgi opinione rogaretur, posset tolerari hic intellectus, cum tamen rogetur, quid revera agendum sit, non dicendum est falsam vulgi opinionem, tanquam veram definitionem, decidisse. Quare dicendum est cum *Innoc. Jo:And. Anchar. Abb. Præpos. Covar. Ant. Cuco, Ledes. cit. n.5.* illum, qui sponsalia juraret, nondum de religionis ingressu deliberasse, ut constat ex iis verbis textus, *Et postea si elegerit*, quasi nondum animo statuisset, & ex alia parte instabat tempus, quo juramentum astringebat, & ideo dixit Pontifex tutius esse statim contrahere matrim., ne termino transacto in perjurium incidat: & contracto matr. bimestre superest ad deliberandum de ingressu. Ad 2. dico, in juramento solvendi usuras nullam tacitam latere conditionem, qualis inest juramento matrimonii, si religio non eligatur. Ad 3. dico, id esse verum nisi juramento insit tacita conditio, si in melius non commutavero. Ad 4. dico, solutioni aliorum debitorum nullam interesse tacitam conditionem, ut inest huic debito.

6 II. Quæstio. Utrum qui sponsalia juravit, licite possit, quando post sponsalia, religionis voto se astrinxit, matr. inire, animo firmo ingrediendi religionem, ante consummationem? Quidam ajunt id licere. Prob. ex *c.Commissum de spons.* ubi de jurante sponsalia ait Pontifex, tutius esse prius contrahere, & eum fecisse votum constat ex his textibus, *privata lege, ductus ad frugem melioris vitæ suspirat*: votum enim privata lex est. 2. Quia hic contrahens non agit contra votum castitatis, aut religionis, utrumque enim tantum obligat ad non contrahendum animo consummandi, alias nunquam liceret eo animo contrahere, absque voti dispensatione: cujus contrarium dicemus num. 8. 3. Quia nulla infertur injuria alteri conjugi, cum hic jure suo, quod habet, ingrediendi religionem ante consummationem, utatur: & contractus utrinque æqualis sit: idem enim alteri licet. Et confir. quia ubi actus ex se non est contra justitiam, animus quo fit, nullam injuriam irrogat, cum intus maneat, sed ingredi religionem post matr. ratum, non est contra justitiam, ergo nec contrahere eo animo. Tandem, quia alias eum, qui tali animo contraxit, deberemus obligare, ne postea ingrediatur, ut injuriam, quam inferre machinatus est, evitet. Sic tenent *Ant.c.Ex publico, de convers.conjug n.9. Hen. d.c. Commissum, n.8.* ubi *Alex. de Nevo, n.9. & 10.* & ex Theologis, *Petr. de Ledes. de matr.q.53.a.1.dub.1. post 2. concl. vers. Secunda pars.* Pro eadem sent. sunt aliqui asseverantes voto castitatis astrictum non peccare lethaliter, si matr. ineat animo firmo ingrediendi religionem ante consummationem: hi sunt *Calderinus cap. Rursus, qui cler. vel voven. Scot.4.d.38. qu. un. prope fin. vers. Consimiliter, si de peccato ageretur, Altissodor. l.3. sum.tr.2.c. 2.q.3. ad 3. objectum, Ang. matr.3. imped.5. n.1. Cajet. summ. verb. matr.cap.1. vers. Et scito peccatum esse: Angl. floribus, 2.p. q.11. de imped. matr.* ubi de voto, *art.3.dub.1.f.591. Petr. a Ledes. d. dub.1. concl.2.* addens cum *Scoto*, nullum esse peccatum. Et hæc sent. est probabilis.

Sed multo probabilius est non licere absque culpa lethali. 7
Prob. 1. quia patentissimo periculo exponitur sic contrahens, mutandi animum, & ita violandi votum 2. quia non potest negari, quin aliquo modo deroget dignitati voti castitatis & religionis, ita contrahere: cum absolute jure cautum sit hujusmodi vota impedire matr. contrahendum, *c. Rursus, & c. Consulit, & c. insinuante, qui cler. vel vov.* 3. quia rationi rectæ repugnat, ut quis tradat potestatem sui corporis alii, ad idque se obliget, quod implere minime intendit. 4. quia eo animo contrahens videtur illudere sacramentum, & notabilem infert injuriam puellæ, nam cogit ipsam absque nuptiis esse, donec ipse profiteatur, & si egrediatur, esse uxorem monachi cum suo dedecore: & eo professo, non ita facile alii nubet, & suspicionis nota non levi afficietur, existimabunt enim multi eam desertam esse ob aliquod vitium: decipit etiam in re gravi puellam, nullus enim hoc animo cognito ipsi nuberet. Ita *Gl.d.c. Commissum, verb. Tutius, & ibi Host. paulo post princ. Joan. Andr.n.3. Ant.n.9. Præpos. n.5. idem Jo: Andr. additio. ad Speculator. t.de convers.conjugal. ad fin.* pro eadem sent. sunt *Ant. Cucus l.5. instit major.t.12.n.20. & Ledes.1.p.4.q.55.a.2.f.468. col.4. Manuel 1.t.sum.2.edit.c.244 n.5.* ubi adhuc absque voto dicunt esse culpam lethalem eo animo contrahere. Pro eadem sunt alii DD. qui affirmant astrictum voto castitatis, eo animo ducentem uxorem, peccare lethaliter. Sic *Ricard.4.d.38.ar. 7.q.1. fin D.Ant.3.p.tom.1.c.4 fin. Rosel.verb. Impedimentum, impedim.4.n.9. Sylv. Matrimon.7. qu.5. d.2. Tabiena Impedimentum 2. q.5. num.6. Sotus 4. d.38. qu.2. art.1. vers. Contra primam concl. Petr. de Soto lect.14. de matr. ad fin. Navar. sum. c.12. nu.73. & c. 16. lat.n.30. Hisp.c.28. addit. ad eumdem n.30. c.16. Corduba sum. num.236. punct. 1. Ledesm. proxime cit. Enriquez l. 12. de matr. cap.2. num.8. Lud.Lop. 1. p. instr. c. 50. ad fin. Vega l. 6. sum. casu 41. punct.2.*

In aliquibus tamen eventibus licitum erit habenti votum 8
religionis, vel castitatis contrahere animo firmo ingrediendi religionem, ante matrimonii consummationem I. est, quando esset notabilis metus, quamvis non cadens in virum constantem, famæ propriæ, aut amittendæ vitæ, nisi contraheret. Sic *Nav.sum.lat.c.16.n.30. Hisp.c.28. addit.ad eund.n.2.* II. est si voto astrictus alio modo non potest religionem ingredi: quia inclusus retinetur. Sic *Enriq.lib.12. de matr.c.2. n.8. & in comment.lit.D.* ait quosdam dicere similiter licere sic contrahere, ut contracto matr. uterque voveat continentiam; & alios hoc non admittere: quod omnino mihi placet, tum quia videtur irrisio Sacramenti, & aliqualis injuria irrogatur voto: tum etiam, quia si ea conditione matr. ineant, est irritum: eo quod conditio est contra matrimonii substantiam: ut l.5. dicemus. III. est, nisi in casu raro, ad vitandum magnum scandalum, sic *Manuel.1.t.sum. in 2. ed. c.244. n.5.* & quamvis ipse non loquatur casu, quo votum præcedit, at etiam tunc verum est: quia *Navar. proxime citatus*, ex quacumque causa urgenti id licere asserit, & nulla urgentior est hac.

Id tamen observandum est, sive dicamus voto castitatis astri- 9
ctum delinquere contrahendo matr. animo firmo religionis profitendæ ante consummationem; sive dicamus id esse licitum, non teneri matr. contracto religionem ingredi. Nec obstat *Scotum, Caim. Tabienam authores 2. sent.* quos retuli n.7. sentire teneri ingredi: quia in ea sunt sententia, ut contrahens post votum castitatis, peccet prima vice reddendo debitum, & teneatur ingredi religionem: tenendo tamen ad id non teneri: quod probabilius est, & docent multi: dicendum est non teneri ingredi, & ita posse consummare reddendo, nunquam tamen posse petere, & ratio est, quia ex vi prioris voti castitatis non tenebatur ingredi, quamvis matr. iniret, nec ex vi illius propositi tenetur: quia cum illud votum non sit; sed simplex propositum, nullam obligandi vim sortitur. Sic *Ang matr.3. imped.5.n.2. Victoriam, & Frater Pena*, quos refert, dicens esse probabile, *Enriquez l. 12 de matr.c.2.n.8.* cui simile est, quod bene docet ipsemet *Enriq. lib. 6. de pœn. cap.16. n.6.* nempe absolutum virtute Jubilæi,

quod conſequi intendebat, a reſervatis, non peccare, ſi poſtea mutato propoſito minime conſequatur, quia illud propoſitum non eſt pactum, nec promiſſio, ſi tamen votum fuiſſet religionis, manifeſtum eſt teneri ante conſummationem ingredi, & peccare mortaliter, prima vice conſummando, ſive petat, ſive reddat.

10 Ad arg. prioris ſent. propoſita n. 6. reſpondetur. Ad 1. illum de quo mentio fit *eo ipſo Commiſſum*, non emiſiſſe religionis votum, ut *Gl. & omnes DD. juris can. cit. n. 7. ſuper illud c.* teſtantur, & conſtat, quia dicit textus, *poſtea ſi elegerit religionem, & ſuſpiret ad religionem*, ubi claræ ſignificatur nondum animo firmaſſe ingredi; nedum voviſſe. Nec obſtant ea verba, *prinata lege dudum*, quia *Gl. Verb. Lege*, & *Hoſt. ſuper eod. verb.* remittunt lectorem ad *c. Licet de reg.* ubi ponitur ſimile verbum, & conſtat non accipi pro voto, ſed *Gl. eod. c. Licet, verb Ex privata*, & *Hoſt. ſuper eod. verb.* explicant ex amore, & charitate Dei: addit *Hoſtien.* vel ex lege, quæ inſtinctu S. Spiritus cordibus imprimitur. Ad 2. dico, concludere non omnino eſſe contra votum, ac aliquo modo contra illud eſt, ejuſque dignitati valde derogat. Ad 3. fateor uti jure ſuo, quando bona fide contrahit matr non impediens S. Spiritus inſtinctum: & contractus in hoc eventu eſt utrinque æqualis: ſecus quando dolose, & non animo conſummandi, nec ſervatur æqualitas: quia fœmina bona fide nubit. Ad confirm., & ultimum arg. dico concludere non eſſe contra juſtitiam: dicitur tamen injuria contra proximi charitatem, ſic dolose contrahere.

11 III. Quæſtio eſt, utrum dum ſponſalia juranda, nullo eſt aſtrictus voto, poſſit matr. inire animo ingrediendi religionem, antequam conſummet? Affirmant aliqui licere, quia *c. Commiſſum, de ſponſ.* id eſſe tutius dicitur, & idem a fortiori probant rationes addictæ n. 6. & DD. illius ſent. & alii DD. relati n. 2. & ultra illos docent *Gl. eod. c. Commiſſum Verb. Tutius, & ibi Hoſt. paulo poſt prince. ſuper Verb. Suſpirat. Ant. n. 9. Abb. n. 4. Jo: Andr. n. 3. Alex. de Nevo n. 9. & 10. Præpoſ. n. 5.* imo *Ant. & Alex. de Nevo* dicunt melius eſſe contrahere, & hoc eſt probabile.

12 Sed verius eſt, eſſe culpam lethalem, exceptis caſibus, quos n. 8. deleripſi, etiam dum eſt votum. Et hoc probant fere omnes rationes n. 7. adductæ: & tenent *Ledeſ. 2 p. q. 9. 53. a. 2. f. 468. col. 4. Manuel 1. 1 ſum. in 2. edit. c. 244. n. 5.* & videntur hujus ſent. *Sylv. Soris, Navar. Petr. de Soto, Lud. Lop. cit. n. 7.* cum enim dicant poſſe votum eſſe peccatum mortale contrahere hoc animo, innitanturque injuriæ, & deceptioni alterius, quę in hoc caſu æqualis eſt, idem in hoc videntur ſentire. Ad *c. commiſſum* reſpondi n. 5.

DISPUTATIO XLIV.

Utrum poſt ſponſalia cum virgine contracta, & ſub ea ſpe defloratа, liceat defloratori ingredi religionem, five non contracto matr. ſive eo contracto, ante conſummationem?

SUMMARIUM.

Prima opinio diſtinguens n. 1. & ſecunda affirmans, 2.
Non poteſt ingredi, & unum pro alio invito creditore reddi non poteſt, 3.
Non poteſt, quando ſequitur notabilis infamia abſque copula, 4.
Idem eſt, quando eſſet vidua honeſtæ famæ, 5.
Quid quando non ſunt vera ſponſalia, ſed deflorans ficte promiſit; adhuc tenetur eam ducere, 6.
Non ſatisfacit hic ducendo, & ante conſummationem, ingrediendo religionem, 7.
Quid ſi poſt eam injuriam illatam, votum religionis emiſiſſet, 8.

3 HAnc quæſt. diſputant *Corduba ſum. q. 182. & Lud. Lop. 1. p. inſtruct. c. 77. Verſ. Sed gravius*, dum virgo non eſt defloratа, gravem tamen famæ jacturam patitur, ipſo promiſſore religionem ingrediente, & dicunt juxta ſent. DD. aſſerentium debitis aſtrictum, qui brevi ſolvendo non eſt, poſſe religionem ingredi: idem dicendam eſſe in hoc eventu, & aliter teneri ſatisfacere virgini: ſecus tamen, juxta DD. aſſerentes illum non poſſe ingredi. Sed mea ſent. neutri hoc dicent, quia fundamentum illius ſent. eſt, ut conſtat ex *D. Th. 2. 2. q. ult. a. 6. ad 3.* qui eſt principalis author illius ſent. & quem omnes ac ducem ſequuntur: nam perſona hominis eſt libera, nec obligatur ad debita, & ita cedendo bonis ſatisfacit: quæ ratio omnino hic deficit, quia in hoc eventu, non bona, ſed ipſa perſona vinculo juſtitiæ aſtricta eſt.

2 Alii vero cenſent, & in quibuſdam concertationibus defenderunt, liberari hunc emiſſo caſtitatis voto: nedum religionis ingreſſu, ita refert *Vival. candel. 3. p. c. 14. n. 64.* & merito, dicit eſſe id falſum.

3 Sit I. concluſio, ſponſalia contrahens, & ſub ea ſpe virginem deflorans, non poteſt ingredi religionem, & tenetur eam ducere: Prob. quia moraliter loquendo nequit aliter injuriam refarcire, ad quod perſona juſtitiæ vinculo alligata eſt: nec unum pro alio, invito creditore, reddi poteſt *l. 2. §. Mutui, ff. ſi cert. pet.* Pro hac ſent. videtur *Navar. l. 3. conſ. t. de Voto, in 1. edit. conſ. 6. fin. in 2. conſ. 3.* ff. ubi dicens promittentem matr. poſſe religionem ingredi, ſubdit cavere debere. ne infamia ſequatur fœminæ: ubi videtur ſentire ea ſecuta, illicitum eſſe: & tenet expreſſe dicens Juriſperitos, & Theologos conſultos ſic ſenſiſſe, *Enriquez l. 11. de matr. c. 13. num. 2. in comment. lit. K. & Manuel 1. t. ſum. in 2. edit. cap. 245. n. 11.* id dacet, etiamſi non ſit copula, ſi notabilis infamia rationabiliter ſequatur, & in hoc etiam infamiæ caſu dicunt eſſe tutius *Corduba*, & *Lud. Lop. num. 1. allegg.*

II. Concluſio, idem dicendum eſt, quando copula non eſt ſecuta, notabilem tamen famæ jacturam, & merito patietur femina, culpa promittentis matr. quia hæc jactura non poteſt aliter commode reſarciri. Sic colligitur *ex Navar.* & tenent tanquam tutius *Corduba*, & *Lud. Lop.* & expreſſe docet *Manuel*, quos omnes num. præc. retuli. 4

Hinc infero idem dicendum eſſe, quando eſſet vidua honeſtæ, ac bonæ famæ, & non infimæ ſortis, & notabilis infamia ipſi ſequeretur, & prob. eadem rationibus. 5

III. Concluſio, idem cenſendum eſt, quamvis ſponſalia vera non eſſent, quia promiſſio ficta fuit: nam in iis caſibus, in quibus fictus promiſſor tenetur deceptam ducere, de quibus late ſupra tota diſp. 10. non poteſt ingredi religionem: ut probant eædem rationes. 6

IV. Concluſio, in his caſibus non ſatisfacit promiſſor, ſi contracto matrimonio, & non conſummato, religionem ingrediatur. Prob. quia eo matrimonio non refarcitur injuria virginitatis, & famæ. Item, quia ſic contrahere, eſt actus otioſus, & culpa non caret, ut probavi diſp. præced. in fine: quare non eſt audiendus *Anton. a Corduba, ſum. q.* 182. conſulens, ut hic fœminam ducat, & ante conſummationem ingrediatur religionem, & loquitur, quando non defloravit, ſed ſecuta eſt notabilis infamia: vel intelligendus eſt, dum ſic contracto matrimonio refarciretur fama: quod meo judicio rariſſime continget, imo tunc graviori ſuſpicionis nota afficietur femina: & pro hac ſententia eſt *Lud. Lop. cit. num. 1.* ubi ſolum concedit poſſe ingredi, quando ceſſaret infamia. 7

Ex dictis infero, ſi hujuſmodi promiſſor in his eventibus, voto religionis ſe aſtringat, poſſe, & teneri matr. contrahere, illudque conſummare, non obſtante voto, quia non potuit in præjudicium fœminæ id vovere. Hujuſmodi tamen votum non erit irritum, quare diſſolutis ſponſalibus ex quacumque cauſa ſufficienti: vel matrimonio morte fœminæ, tenebitur votum implere: ut in ſimili probabo diſp. 46. n. 15. votum enim ex parte ſua validum fuit. 8

DISPUTATIO XLV.

Utrum qui prius votum religionis, aut caſtitatis emiſit, virginemque defloravit fide data de matr. contrahendo, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum?

SUMMARIUM.

Certum eſt, prius votum manere validum, & ad quid obliget: & in quo conſiſtat difficultas, num. 1.
Prima ſententia, teneri ad votum, 2.
Secunda verior, non teneri, 3.
Idem de vidua honeſta, 4.
Quid ſi femina erat voti conſcia, 5.
Et ſolvuntur argumenta, 6.

NEmo dubitat prius votum adhuc vires obligandi habere, quare, eſto dicamus poſſe hunc contrahere matrim. neceſſario dicendum eſt non poſſe petere debitum, ſi eſt votum caſtitatis: & diſſolutis ſponſalibus ex cauſa juſta, vel mortua uxore teneri abſtinere a nuptiis, & ſi votum religionis fuit, teneri illam ingredi. Quare difficultas in eo verſatur, an cenſeatur hæc legitima cauſa, ut voti implementum differatur, & teneatur deflorans eam ducere. 1

Duplex eſt ſententia Prima negat poſſe ducere. Quia obligatio poſterior minime potuit priori voto derogare. Et confirm. quia hac ratione dicemus infra diſp. 49. num. 5. ſponſalia poſterius contracta accedente copula, non derogare prioribus, 2. Quia hic non tenetur ratione promiſſionis, quia nulla fuit, tanquam rei illicitæ contra votum promiſſio: neque etiam ratione damni, quia violans virginem nuptiis non promiſſis, non tenetur eam ducere, ſed aliter ſatisfacere: perinde autem eſt non adeſſe promiſſionem, vel eam eſſe nullam. Nec obſtat, ſi objicias ficte promittentem teneri ratione damni puellam defloratam ducere, ut diximus ſupra diſput. 10. numer. 3. cum tamen promiſſio nulla fuerit, quia in eo caſu tenebatur vere promittere: in noſtro autem non poterat vere promittere, obſtante voto. Hanc tenent *Navar. l. 4. conſ. in 1. edit. t. de ſponſalib. conſ. 21. in 2. t. qui cleric. vel voven. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. cap. 208. num. 11. Vivald. candel. 3. p. cap. 14. n. 65. junctо num. 64.* & eſt valde probabilis. 2

II. Sententia quæ plus mihi placet, aſſerit teneri eam ducere. Prob. quia votum non obligat rebus notabiliter mutatis, ut tradunt omnes tractat. de voto: hic autem notabiliſſima eſt mutatio, cum vinculum juſtitiæ fortiſſimum ſuperveneriit, & graviſſimum proximi damnum, ſi votum impleatur. 2. Juſtitiæ vinculum fortius eſt, quam charitatis, ſed ob charitatis vinculum ſuperveniens, tenetur quiſpiam religionis votum præcedens ſuſpendere, ut ratione parentum indigentiæ, ergo a fortiori propter vinculum juſtitiæ, quale eſt hoc. 3. Quia ex hoc quod deflorator feminam ducat, minime abſolvitur a voto, ſed tantum voti executio ad tempus differtur, ergo ſufficiens eſt cauſa tam urgens. 4. 3

Quia

Quia ære alieno gravatus, ſi ſolvendo ſit brevi, non poteſt ingredi religionem, quamvis, voto illius prius aſtrictus fuerit, ſed tenetur differre, & quamvis brevi non poſſit ſolvere, ſi tamen eſt ſpes fore ut poſſit, probabiliſſima ſententia eſt, non poſſe ingredi: & quamvis aliqui cenſeant oppoſitum, huic fundamento inniturntur, quod perſona non ſit obligata, ut diceham diſp. præced. n. 1. ſed in hoc caſu poteſt deflorator ſtatim ſolvere ducendo feminam, & perſona eſt obligata, ergo non obſtante priori voto tenetur: ſic tenuere graves magiſtri Salmantini, ut refert *Manuel n. præced. allegatus*, & alii viri doctiſſimi e Societate Jeſu. 4

Idem credo, ob eaſdem rationes, de vidua honeſta, & bonæ famæ, nec infimæ ſortis, quæ alias notabilem famæ jacturam faceret.

5 Intelligenda tamen eſt hæc ſent. ſi femina votum promittentis ignoraret: ſi enim noſſet, ſe ipſam deciperet: & alter teneretur votum implere: ut in ſimili dixi diſp. 10. n. 5. de ficte promittente, excedente notabiliter conditione feminam exceſſum minime ignorantem.

6 Ad 1. argum. dico antecedens eſſe verum, quando res non ſunt notabiliter mutatæ: hæc enim mutatione ſubſecuta: non diſſolvetur omnino prior voti obligatio, verum erit juſta cauſa eam differendi. Ad confir. reſpondebo eadem diſp. 49. num. 5. Ad 2. dico, teneri ratione utriuſque ſimul, nec eſt ſimile, quando nulla interfuit promiſſio, tunc enim nullum jus habebat defloratа, ad petendum matr. habet autem maximum, quando promiſſio adfuit, licet invalida propter cauſam ſibi occultam, ratione deceptionis, & damni ſibi illati, quod juſtam cauſam præbet, ut prior obligatio ob quam promiſſio invalida fuit, poſſit differri.

DISPUTATIO XLVI.

Utrum ſponſalia diſſolvantur voto ſimplici caſtitatis ſuperveniенti?

SUMMARIUM.

In quo conſiſtat difficultas, num. 1.
Dirimuntur per votum ſimplex religionis, n. 2. & per ſimplex caſtitatis præcedens, 3.
Non dirimit propoſitum firmum cælibatus, 4.
Sponſo caſtitatem vovente, alter eximitur ab obligatione, 5.
Quot ſint difficultates diſputandæ, 6.
Prima ſent. votum caſtitatis ſubſequens diſſolvere ſponſalia, num. 7. & ibi ſi concurrant duo vincula incompatibilia, fortius prævalet.
Si poſt votum, ineat vovens matrim. cum alia, non peccat contra ſponſalium fidem, 8.
Secunda ſententia verior, 9.
Utrum peccet ſic vovens caſtitatem poſt ſponſalia, 10.
Solvuntur argumenta, & explicatur c. Veniens, qui clerici, vel voven. art. 11. & c. Pervenit, de jurejur.
An vovens caſtitatem poſt ſponſalia, poſſit contrahere matrim. vel teneatur ingredi religionem. 1. Sent. teneri ingredi, 12.
2. Verior, non teneri ingredi, ſed poſſe, & ſi ſolit ingredi, teneri contrahere matrim. 13.
An tale votum ſit omnino irritum, vel ad quid obliget. 1. Sent. eſſe irritum, n. 14. Secunda verior contraria, 15.

1 DIſputatio præſens locum habet, quando ſola ſponſalia concurrant, ſi enim damnum virginitatis, vel famæ: diximus duplici diſp. præc. Et difficultas in eo conſiſtit, utrum tanta voti ſimplicis caſtitatis virtus ſit, ut priora ſponſalia diſſolvat.

2 Et quidem ſi votum ſit religionem ingrediendi non eſt dubium, ſponſalia diſſolvere: habet enim ſe reſpectu ſponſalium, ſicut votum ſolemne religionis, reſpectu matr. rati, ergo ſicut hoc diſſolvit matr. ita illud, ſponſalia. Sic *Nav. ſum. c. 22. Hiſp. n. 25. Lat. n. 27. caſu 10. Sylv. Matrim. 7. q. 5. diſt. 5. Corduba ſum. q. 136. punct. 4. opin. 5. Enriquez lib. 11. de matr. c. 14. n. 4. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. de matr. c. 38. f. 1045. Petr. de Ledeſm. de matr. q. 43. art. 3. dub. 1. diſſic. 2. Philiare. de offic. ſacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 1.*

3 Similiter nemo dubitat votum caſtitatis præcedens ſponſalia, ipſa irritare, quia continet rei illicitæ promiſſionem.

4 Propoſitum tamen cælibatus ſervandi in ſæculo, nulla ratione ſponſalia dirimit, quia tale propoſitum ſi voto non firmetur, non conſtituit ſtatum: (ſtatus enim requirit ſtabilitatem vitæ, & obligationem,) ut optime *D. Th. 2. 2. qu. 183. art. 1. Sic P. Mol. t. 1. de inſt. tr. 2. diſp. 149. §. 843. fin. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 43. art. 3. dub. 3.* Nec adverſatur *Cajet. ſum. verb. Perjurium promiſſorium ad fin. cap. 2. verſ. intellige 2.* ubi dicit, poſſe jurantem ſponſalia manere in ſtatu cælibe: intelligendus enim eſt, voto caſtitatis emiſſo, alias non eſt ſtatus. De cujus adhuc veritate ſtatim diſputandum eſt.

5 Tandem in omni ſent. certum eſſe debet, dum quidam ſponſas caſtitatem vovit, alterum a fide ſponſalium ſervanda liberum eſſe, quia vovens eo ipſo ſponſalibus renunciavit. Item quia res ſunt notabiliter mutatæ, cum enim vovens teneatur a debito petendo abſtinere, graviſſimum onus alteri eſſet, ſemper cogi ad petendum, maxime ſi eſſet femina. Sic *Palud. 3. ad 27. q. 1. a. 3. caſu 5. n. 23. Sylv.* dicens eſſe indubitatum *verb. Sponſalia q. 7. Cord. Enriq. Lud. Lop. Petr. de Ledeſm.*

allegati n. 2. Manuel. 1. t. ſum. in 2. edit. c. 245. n. 3. Vega l. 6. ſum. caſ. 41. pun. 4. opin. 5.

His præmiſſis tres difficultates diſputandæ ſunt. I. an votum caſtitatis ſimplex diſſolvat etiam ex parte voventis ſponſalia, atque licite poſſit emitti, & ſervari. II. ſi emittatur, eſto non diſſolvat ſponſalia, teneatur vovens religionem ingredi, vel poſſit matr. inire. III. eſto poſſit matr. contrahere, ad quid obliget votum. 6

Difficultas I. Utrum poſt ſponſalia licite poſſit votum ſimplex caſtitatis emitti, illaque dirimat. Duplex eſt ſent. I. docet licite emitti, & diſſolvere ſponſalia, nec voventem poſſe matrim. antea promiſſum inire. Prob. ex *c. Veniens, qui clerici, vel voven.* ubi femina, ut a ſponſalibus eximeretur, caſtitatem vovit, & rogatus Pontifex an non obſtante voto poſſit nubere, reſpondet ob fornicationis periculum injungendam eſſe pœnitentiam, de voto violato, (id eſt, juxta *Gloſ. verb. Voto*, animo violandi votum,) & dandam eſſe nubendi licentiam, ergo votum caſtitatis prævalet ſponſalibus, alias non peccaret in votum, volens fidem ſponſalium ſervare, nubendo. 2. quia promiſſum non infringit, in melius commutans, *c. Pervenit, de jurejur.* 3. quia ſponſalibus ſemper ineſt tacita conditio, niſi voluero ad meliorem ſtatum tranſire: nullus enim ob magnum caſtitatis bonum cenſetur huic ſtatui velle renunciare, niſi ob matr. 4. quia ubi concurrunt duo vincula incompatibilia, & valida, fortius prævalet, *cap. Si inter de Sponſal.* at vinculum voti caſtitatis eſt incompatibile cum ſponſalibus ut patet, & eſt fortius, quia inducit obligationem fidelitatis reſpectu Dei: ſponſalia vero reſpectu hominis. Hanc tenent *Calderinus d. c. Veniens*, ubi *Ant. n. 9. Præpoſ. n. 2. Card. c. Rurſus, qui clerici, vel voven. n. 3. q. 1. Ang. verb. Sponſal. n. 4. Turrecr. c. Ubi non eſt n. 530. q. 2. Greg. Lop. l. 7. verb. Excuſat. t. 1. p. 4. Coſtan. de Sponſ. t. Effectus Sponſalium, n. 9. Alex. Carrer. l. 1. de Sponſal. c. 16.* habetur uterque tom. 9. tract. & ex Theologis videtur expreſſe tenere *D. Th. 4. d. 38. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 2. ad 1.* ubi hæc ait, *ſimili modo obligat votum ſimplex, ſicut ſponſalia, unde propter votum ſimplex ſunt ſponſalia dirimenda*, & tere expreſſe tenet *Palud. 4. d. 38. q. 3. art. 3. concl. 4. n. 36.* clare docent *Ricardus 4. d. 27. art. 3. q. 4. Cajet. ſum. verb. Perjurium promiſſorium*, ad *fi. c. 2. verſ. Intellige*, & *Sotus 4. d. 27. q. 2. a. 5. verſ. Utrum. Veracruz 1. p. Speculi, ar. 21. caſu 12. Enriquez l. 11. de matr. c. 14. n. 4. Barth. a Ledeſma de matr. dub. 13. caſu 2. Manuel. 1. tom. ſum. 2. ed. c. 245. n. 2. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 43. art. 3. dub. 3.* & eſt probabiliſſima ſent. & tutiſſime amplecti poteſt, ut loquuntur *Cajet. Enriquez, Manuel, Petr. de Ledeſ.* de ſponſalibus juramento firmatis.

Ex hac ſent. infertur, ſi hic poſt votum caſtitatis contrahat matrim. cum alia, reum eſſe voti, non tamen ſponſalium priorum, quia jam omnino diſſoluta erant. 8

II. Sent. probabilior, aſſerit non dirimi ſponſalia. Prob. ex *cap. Veniens, qui cler. vel voven.* ubi fœminæ, quæ promiſit matr. imponitur pœnitentia de fide mentita, (id eſt, ut explicant *ibi Hoſt. verb. De fide, Jo: Andr. num. 3. Anch. n. 2. Alex. de Nevo n. 4.*) ſponſo, cum per ipſam ſteterit, ne matr. ſequatur, & tamen emiſit poſtea votum caſtitatis, ergo votum caſtitatis non dirimit ſponſalia 2. quia Deus non acceptat promiſſionem rei prius alteri promiſſæ, & in ejus præjudicium, ut ſi promiſi equum Petro, & poſtea repromitto Eccleſiæ, prævalet prior promiſſio: ſed ſponſus per ſponſalia promiſit ſuum corpus alteri, ergo repromiſſio ejuſdem corporis facta Deo per votum, non eſt illi accepta. 3. quia nullo jure probatur ineſſe ſponſalibus tacitam conditionem, niſi ſtatum continentium elegero. Sic tenent *Gl. diſt. c. Veniens, verb. de ſeveritate*, & *ibi Abb. n. 5. Alex. de Nevo, n. 6. Hoſt. c. Rurſus, qui cler. vel voven. paulo poſt princ.* ubi *Innoc. n. unic. Joan. Andr. n. 2. Arch. num. 1. Antonius* ſibi contrarius, *num. 5. Henricus, nu. 2. Sylveſt. Matrim. 7. q. 5. d. 5. &* verb. *Sponſ. q. 7.* ubi *Armilla, nu. 12. Tabiena in fine, Nav. ſum. c. 22. Lar. num. 27. Hiſp. num. 25. Joan. Brunel. de Sponſal. concl. 8. n. 2. &* concl. 31. *num. 3. Anton. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 10. num. 84.* & ex Theologis *Palud. 4. d. 27. q. 1. art. 3. caſu 5. num. 23. verſ. Sexto de voto, D Ant. 3. p. t. 1. c. 18. §. 2. Corduba ſumma, q. 136. punct. 4. opinione 5. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. de matr. c. 38. f. 1043. Philiare. de offic. Sacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 1. Vivald. candel. p. 3. c. 14. n. 64.* & refert *Summa confeſſorum, Graſſedum, & Aſtenſem, Vega l. 9. ſumm. caſu 41. punct. 4. opin. 5.* & dicunt eſſe probabilem *Barth. a Ledeſma*, & *Petr. de Ledeſm.* & *Enriquez* dicit eſſe valde probabilem. Et quamvis *Hoſt.* loquatur de ſponſalibus juratis, at cereri indiſtincte loquuntur: & expreſſe etiam, quando non ſunt jurata, *Corduba, Lud. Lop. Vega ibid.*

Obſervandum eſt aliquos DD. hujus 2. ſententię aſſirmare hunc poſt ſponſalia, voventem caſtitatem peccare: quia videtur a ſponſalibus recedere, cum tamen non ſit ſufficiens cauſa votum illud. Sic *Sylv. verb. Sponſalia, q. 7. Lud. Lop. Corduba*, & *Vega, cit. nu. 9.* & addunt hi duo eſſe peccatum lethale. Sed hoc intellige, dum voveret animo manendi in ſæculo, & a ſponſalibus reſiliendi, ſi enim aut animo ingrediendi religionem, aut perficiendi ſponſalia matrimonio inito, obligandique ſe ad caſtitatem ex parte ſua, in quantum poteſt, nullius culpæ reus eſſet: nam etiam conjugatis licitum eſt hoc modo vovere caſtitatem: poſſet etiam adhærens primæ opinioni probabiliſſimæ, vovere caſtitatem animo reſiliendi a ſponſalibus. 10

Ad 1. arg. ex *c. Veniens*, dico fœminam non petiiſſe licentiam nubendi illi, cui fidem dederat; is enim jam cum alia contraxerat, 11

ut dicit idem textus, ſed ad nubendum alii, quod diſpenſatione indigebat, valet enim votum reſpectu aliorum, ut dicemus n. 15. & referemus DD. ſic explicantes hunc textum. Ad 2. Reſp. textum loqui de voto, cum enim Deus ſit creditor potius rem meliorem acceptat: ſecus in promiſſione homini facta. Ad 3. Nego antecedens, eam enim conditionem ineſſe, nullo jure probatur. Ad 4. Reſp. majorem eſſe veram, quando utrumque vinculum validum eſt, at votum non valet, quatenus eſt in ſponſæ præjudicium.

12 Difficultas II. Utrum ſuppoſita hac 2. ſent. teneatur qui poſt ſponſalia, caſtitatis voto ſe aſtrinxit, religionem ingredi, vel poſſit matr. illud inire? Quidam ſentiunt teneri religionem ingredi, niſi remittatur ſibi promiſſio matrimonii: ducuntur, quia quamvis per ſe, & ratione voti ad id non aſtringatur, per accidens tamen tenetur, eo quod aliter votum perfectè implere nequit: cum enim ſponſalia non ſint diſſoluta, tenebitur manens in ſæculo, matr. inire, & reddere debitum: ſicut votum caſtitatis emittens ſi matr. contrahat, tenetur ante conſummationem ingredi religionem: quia alio modo non poteſt perfectè obſervare votum, ſic *Sylv. verb. ſponſ. q. 7. Palud. Navar. Cord., Lud. Lop. Vega, cit. n. 9.* & addunt *Sylv. Cord.*, & *Vega ibi*, & *Navar. ſumm. Hiſp. cap. 22. n. 25. caſu* 10. aut teneri ordinem ſacrum ſuſcipere, per quem ſponſalia diſſolvuntur. Et hæc ſent. eſt probabilis.

13 Probabilius tamen eſt non teneri ad religionem, aut ordinem ſacrum, ſed poſſe ingredi, ſi velit, ſin minus, teneri ſponſalia perficere matr. contracto. Prob. prior pars, quia hic religionem minime vovit, & licet jam non aliter poſſit integre ſervare votum, non tenetur tam notabili mutatione, & tam difficili, ac eſt ingreſſus religionis, illud perfectè implere, ut docet probabilior ſent., de eo, qui voto caſtitatis emiſſo, uxorem duxit. Prob. poſterior pars, quia ſponſalia non ſunt diſſoluta, ut probavi n. 9. ergo tenetur illa implere. Sic docent *gl. Hoſtien. Innoc. Jo: Andr. Anchor. Abb. Henr. Ant. Alex. de Nevo, D. Ant. Tabiena, n. 9. allegati, Brunellus de ſponſ. conc. 31. n. 3.* ubi omnes hi dicunt tunc voventem cogendum eſſe, vel religionem ingredi, vel perficere ſponſalia: ecce qualiter non obligant ad religionem, ſed ad eam, vel ad ſponſalia: & *Tabiena* expreſſe dicit non peccare perficiendo ſponſalia.

14 Difficultas III. Utrum hoc votum, cum ſponſalia non diſſolvat nec impediat, quin vovens poſſit matr. inire, ſit irritum, vel ad quid obliget? Aliqui dicunt eſſe invalidum, ut refert *Innoc. c. Veniens, nu. unic. qui cleri. vel voven.* idem tenent *Vivaldus cand. cl. 1. p. de ſponſ. c. 5. n. 48.*

15 Sed prorſus tenendum eſt, votum obligare in ipſius voventis, non tamen in ſponſæ præjudicium, id eſt, non potuiſſe ſe obligare ad non ducendam illam, cui fidem dedit, teneri tamen, vel ſponſa fidem remittente, vel ex cauſa juſta diſſolutis ſponſalibus, vel matr. diſſoluto, omnino ſervare caſtitatem, & conſtante matr. non petere, poſſe tamen reddere. Prob., quia etiam votum caſtitatis emiſſum a conjugato, valet in ſui præjudicium. 2. Prob. ex *d. c. Veniens*, ubi feminæ, quæ poſt ſponſalia caſtitatem vovit, ſponſo jam aliis nuptiis aſtricto, conceditur diſpenſatio aliud matr. ineundi, injuncta pœnitentia de animo violandi votum: ergo votum fuit validum, ſic tenent *gl. cod. c Veniens, fin.* ubi *Innoc. n. unico, Hoſtien. ad finem, Jo: Andr. n. 9. Anch. n. 3. Cardin. ad finem, Abb. n. 5. Alex. de Nevo, n. 6.* & 7. *Brunellus de ſponſ. concl. 31. n. 3.* & valuiſſe votum ſupponunt *Palud. Sylv. Navar. Cord., Lud. Lop. citati, num.* 12. cum obligent hunc ad ingrediendam religionem, ut votum perfectè obſervet.

DISPUTATIO XLVII.

Utrum per ordinum ſuſceptionem, vel votum eos ſuſcipiendi, dirimantur ſponſalia, licitumque ſit iis non impletis, ad ordines promoveri illum, qui ſponſalia contraxerat?

SUMMARIUM.

Ordo ſacer dirimit. non autem minores, & in quo conſiſtat difficultas, num. 1.

Prima ſent., ſponſalibus aſtrictum poſſe ad ordines promoveri, & voto ipſos ſuſcipiendi ea dirimi, 2.

2. *Sent. verior, nu.* 3. *& ibi, quid ſi ſponſus promoveatur a Papa ad epiſcopatum, & præcepta principum intelliguntur, ſa vo jure alterius, ibid.*

Quid teneatur facere, qui poſt ſponſalia aſtrinxit ſe voto ſuſcipiendi ordines ſacros, num. 4. *& ibi, an alter maneat liber.*

1 IN hac diſp. certum eſt ordines minores poſt ſponſalia aſſumptos minime ea dirimere, quoad neutrum conjugem: ut bene docet *Palud. 4. d. 27. q. 1. art. 3. caſu 5. n. 1. initio*, quia is ſtatus non repugnat matr. ſecus autem de ordine ſacro, cum incapacem matr. reddat ſuſcipientem. Difficultas autem in hoc vertatur, an ſponſalium fide aſtricto liceat ad ſacros ordines promoveri, & votum ad eos aſcendendi, dirimat ſponſalia?

2 Duplex eſt ſent. I. tenet poſſe hunc ad ordines ſacros promoveri, & ſubinde votum ad ipſos aſcendendi, ſponſalia dirimere, quia in ſacro ordine ſolemne caſtitatis votum includitur, *c. unic. de voto in 6.* Hanc ſupponunt *Sylv. verb. ſponſ. q. 7. Navar. ſumm. Hiſp. c. 22, n. 25. caſu* 10, dicunt enim voventem caſtitatem non eximi a ſponſalibus, teneri, tamen, ut impleat votum, ad religionem, vel ad ordines ſacros ſuſcipiendos, & idem dicunt omnes, quos diſp. præc. n. 7. retuli, aſſerentes voto ſimplici caſtitatis dirimi ſponſalia: & ſubinde idem dicerent de voto aſcendendi ad ord. ſacros, & expreſſe tenent *Sotus l. 7. de juſt. qu. 1. art. 3. paulo ante ſolut. reg. verſ. Et præterea 2. Corduba ſum. q. 136. pun. 4. opi. 5. Enriquez l. 11. de matr. c. 14. n. 4. Vega lib. 6. ſum. caſu 41. punct. 4. opi. 5.* Et hæc ſententia eſt probabiliſſima.

3 II. Sententia probabilior, aſſerit ſponſalia non dirimi voto ordinis ſacri ſuſcipiendi, nec illis aſtrictum poſſe ad ſacros ordines promoveri. Prob. quia in ordine ſacro votum includitur, per ſe, & ex natura ſua, ſimplex votum caſtitatis eſt, & per accidens tantum ſolemne dicitur, quia ex Eccleſiæ ſtatuto effectum voti ſolemnis, qui eſt matr. contrahendum dirimere, fortitur: ſed votum ſimplex caſtitatis non dirimit ſponſalia, ut dixi diſp. præced. n. 9. ergo nec votum ordinis ſacri ſuſcipiendi, nec licet eum ſuſcipere. Hanc tenet *Palud. 4. d. 27. q. 1. a. 3. caſu 5. n. 21. verſ. Quarto, Major us*, agens de ſponſalibus juratis, *l. 1. de irregul. c. 34. n. 6.* & in hanc magis inclinat *Lud. Lop. 2. p. inſtr. de matr. c. 38. f. 1045.* Imo dicit bene *Palud. n. 22.* non ſolvi ſponſalia per electionem factam a Pontifice ſponſi in epiſcopum, & præceptum ab ipſo injunctum, ut acceptet, niſi ex certa ſcientia ſponſalium id faciat: quia præcepta Principum intelliguntur ſalvo jure alterius, *l. Nec annus, C. emancip. liber.* quando autem ex certa ſcientia id fecerit, cenſetur diſpenſare.

Id tamen fatendum eſt, ſponſum voto ſe aſtringentem ſuſcipiendi ordinis ſacri cenſeri renunciare ſponſalibus, atque ita alterum liberum eſſe a ſponſalium fide: ut dixi diſput. præc. num. 5. de emittente votum caſtitatis, ſponſus tamen, qui id votum emiſit, non tenetur ingredi religionem, ſed ſi ingreſſum in eam minime eligat, tenebitur, contrahere matr. ſi tamen remittatur ſibi fides, vel ſponſalia ex juſta cauſa dirimantur, vel matr. contractum diſſolvatur, tenebitur ad votum implendum: ut ſimiliter dixi de voto caſtitatis, diſp. præced. n. 13. & 15.

DISPUTATIO XLVIII.

Utrum ſponſalia dirimantur per matrimonium cum alia contractum?

SUMMARIUM.

Dirimuntur quando matr. eſt validum, & quid ſi eſt invalidum, & in quo verſetur difficultas, num. 1.

An eo matrim. diſſoluto obligent priora ſponſalia 1. *ſent. obligare*, 2.

2. *Verior, non obligare, n.* 3. *& quid ſi priora ſponſalia juramento firmata ſint, n.* 4. *& eod. n.* 3. *obligatio ſemel extincta, amplius non revriviſcit.*

Quid ſi is virginem violaſſet, n. 5. *& ſolvuntur arg.* 6.

1 CUm matr. fortius vinculum ſit, nemini dubium eſt priora ſponſalia diſſolvere, ſi illud validum fuit: & habetur *c. Si inter, de ſponſalibus, & c. 1. de ſponſa duorum, & c. fi. 27. q. 2.* Si tamen irritum eſſet matr. obligarent adhuc priora ſponſalia: non enim præſtat impedimentum, quod de jure non fortitur effectum, *reg. Non præſtat, de reg. jur. in 6.* Sic *Jo. Andr. c. Sicut, n. 4. de ſponſal.* ubi *Ant. n. 11. Card. q. uit. Anch. n. 6. Præpoſ. n. 9. Henr. c. De illis, de ſponſal. n. 5. Palud. 4. d. 20. q. 1. art. 3. caſu 6. n. 23. Navar. ſum. Hiſp. cap. 22. n. 23. caſu* 3. Maneret tamen alter ſponſus a ſponſalium fide liber: quia per eam contrahendi matrim. voluntatem, licet fuerit nullum, viſus eſt alter a ſponſalibus recedere: ut in ſimili dixi diſp. præc. fin. Difficultatis autem punctum in eo verſatur, utrum per matrim. validum, omnino priora ſponſalia cum alia contracta, extinguantur, ita ut ſoluto matrimonio profeſſione religionis, aut morte, nulla maneat illorum obligatio, ſed penitus extincta ſint.

Quidam cenſent non omnino extingui, & ita ſoluto matr. 2
teneri ſponſum ad priora ſponſalia. Prob. quia promiſſio ſimplex religionis non extinguitur per traditionem incompoſſibilem poſteriorem matr. conſummati, ſed ſuſpenditur, & eo ſoluto, omnino obligat: ergo ſimiliter promiſſio matr. non extinguetur per traditionem incompoſſibilem alterius matr. hanc tenet *Adrian. q. q. 2. de matr. ad 2. in parvis Vol. f. 394. col. 2. Vega l. 6. ſumma, caſu 125. Petrus de Ledeſ. de matr. q. 43. a. 3. dub. 2. ad 2. f. 118. & f. 20. Verſ. Secunda cauſa, d. 56. a. 1. dub. 1. f. 201.* & limitat *eo. Verſ. Secunda cauſa*, niſi ſponſus ex eo matr. tot genuiſſet liberos, ut alio inito matr. commode eos educare non poſſet: vel ita ſenex eſſet, ut non eſſet jam matr. aptus. Idem tenent viri doctiſſimi Neoterici, & eſt probabile.

Probabilius tamen eſt omnino extincta eſſe, & proinde 3
ſoluto matrimon. nullam illa perficiendi obligationem ſupereſſe. Prob. quia per illud matrimonium extincta fuit, ut probant tex. num. 1. adducti, obligatio autem ſemel extincta, amplius non reviviſcit, *l. Quires, §. Aream, ff. de ſolut. & c. Quaris, de conſecr. d. 4.* Item, quia cum ſint obligationes ejuſdem rationis, extinguitur prior per ſortiorem ſupervenientem, ut votum ſtrictioris religionis, omnino extinguitur profeſſione ſecuta in laxiori. Et per hoc ceſſat arg. contra-

contrariæ ſent. quia votum, & matr. ſunt obligationes diſtinctæ rationis, quædam enim ſit Deo, altera autem homini, & ideo non mirum ſi obligatio voti non extinguatur, ſed ſuſpenſa perſeveret conſtante matr. ſecus autem eſt de ſponſalibus, & matr. quæ ſunt obligationes ejuſdem rationis factæ homini. Hujus ſent. ex Theologis videtur eſſe *D. Bonav. 3. d. 39. art. 3. q. 2. fin.* ubi ait jurantem ſponſalia, aliudque ineuntem matr. peccare mortaliter, & amplius non obligari. Et tenent expreſſe *Palud. 4. d. 28. q 1. art. 1. concl. 4. n. 8. Supplem. Gabr. 4. d. 28. q. 2. ar. 2. conc. 2. Enriquez lib. 11. de matr. c. 14. n. 2. & c. 13. n. 3. Manuel. 1. to. ſum. in 2. edit. c. 245. n. 8.* & ex jureſperitis *Jo: Andr. Ant. Card. Henr. Anchar n. 1. allegat, Alex. de Nevo c. Literas n. 7. de ſponſ. impub. Præpoſ. c. Sicut, n. 8. de ſponſ. Azebedo lib. 5. recop. t. 1. l. 1. n. 13. fine.*

4 Hæc ſent. adhuc vera eſt, licet priora ſponſalia juramento firmata ſint, quia cum tale juramentum firmet promiſſionem homini factam, ea omnino extincta, ceſſat: ſic colligitur ex *D. Bonav. num. præced. allegato*: & tenet *Enriquez lib. 11. de matr. cap. 13. n. 3.*

5 Si tamen ſponſus ea ſpe virginem violaſſet, teneretur ſoluto matr. eam ducere, non vi ſponſalium, quæ extincta ſunt, ſed ratione damni illati: & in hoc caſu locutus eſt *Adrian. n. 2. allegatus*: idem tenent *Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 19. f. 1235. Enriq. lib 11. de matr. c. 12. n. 3.* Quod intelligendum eſt cum *Adriano*, niſi jam aliunde eſſet ſatisfactum, & idem intelligo, quando eſſet mulier honeſta, & bonæ famæ, quæ notabilem ejus jacturam paſſa eſſet, nec aliunde eſſet ſatisfactum. Ad arg. contrarium conſtat ex dictis num. 3.

DISPUTATIO XLIX.

Utrum priora ſponſalia dirimantur per poſteriora, copula ſubſecuta cum poſteriori.

SUMMARIUM.

Non diſſolvuntur ex parte habentis copulam, num. 1.

Diſſolvuntur ex parte priori, nu. 2. *& ibi, quid ſi erat juſta cauſa recedendi a prioribus vel contingat priora ſponſalia diſſolvi, ibidem.*

Aliquando diſſolvuntur, ita ut cum neutra liceat contrahere, 3.

An ratione damni illati poſteriori, cum qua fuit copula, diſſolvantur priora 1. *opinio, diſſolvi*, 4.

Secunda verior non diſſolvi, 5.

Aliquando attenta equitate poſſet 1. *opinio ſervari, n.* 6. *& quid quando prior promiſſio fuit occulta, & timet hic grave damnum, vel fore, ut cogatur, eodem*, 6.

1 SI ante decretum *Tridentini ſeſſ. 24. c. 1. de matr.* ſermo ſit, & copula cum poſteriori, affectu conjugali eſſet habita, non dubium eſt priora ſponſalia diſſolvi, quia poſteriora tranſibant in matr. *c. Is qui fidem, de ſponſ.* cum nunc autem ceſſarit matr. illud præſumptum, dicendum eſt non dirimi priora ſponſalia, quia fides poſterius data, in præjudicium prioris fidei, irrita eſt. Sic *Navar. ſum lat. c. 22. n. 16. caſu* 3. *Barth. a Ledeſm. de matr. dub. 13. init. & caſu* 8. *Enriq. l. 11. de matrim. cap. 13. n. 3. Manuel 1. tom. ſumm. in 2. edit. cap. 245. n. 8. Philiarc. de offic. ſacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 1. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. matrim. cap. 38. fol. 1046.* conſtat etiam quia ante Tridentinum, dum copula erat affecta fornicario, eo quod poſteriora ſponſalia non tranſibant in matr. minime priora derogabant, ut docet *Sotus 4. d. 27 q. 2. art. 4 dub. 3. Navv. proxime citatus, Ledeſm. 2. p. q. 48. art. 2.* cum ergo modo non tranſeant in matrimonium, in nullo eventu fufficient ad diſſolvenda priora.

2 Hoc intelligendum eſt ex parte contrahentis poſteriora ſponſalia, nam ex parte alterius diſſoluta manent, quamvis cum poſteriori ſponſa non habita ſit copula, quia contrahens poſteriora ſponſalia, eo ipſo prioribus renuntiat: ut in ſimili dixi diſp. 47. in fine. Utrum autem ſi priora ſponſalia contingat diſſolvi, teneatur hic ad poſteriora, dicam diſp. ſeq. n. 6. & ſi ſuperat juſta cauſa recedendi, dicam in quodam ſimili, eademmet diſp. n. 4.

3 Aliquando autem ita diſſolventur priora ſponſalia per poſteriora cum copula, ut neutrum matrim. iniri poſſit, ut ſi copula, & ſponſalia poſteriora fuerint cum conſanguinea in primo gradu prioris ſponſæ, tunc enim cum priori non poterit contrahi, ratione affinitatis ex copula cum conſanguinea conſurgentis: non etiam cum poſteriori, ratione publicæ honeſtatis, quæ ex prioribus ſponſalibus validis orta eſt. Sic *Navar. & Pollarcus num. 1. citati.*

4 Difficultas tamen eſt, an quamvis non ratione ſponſalium priora dirimantur per poſteriora cum copula, ratione tamen damni illati diſſolvantur? idem etiam affirmat *Majoris 4. d. 27. q. 5.* ubi ait, ſi poſterior eſſet virgo inſciaque priorum ſponſalium, & defloraſſet ſub ſpe promiſſi matrim. teneri defloratorem eam ducere: & *Palacios 4. d. 28. diſp. 1. fol. 628. col. 1.* dicit forſan in conſeientia hoc eſſe verum, & poteſt probari ex dictis diſp. 45. num. 3. ubi ſuſtinuimus ratione hujus damni teneri, defloratorem non obſtante voto religionis, vel caſtitatis priùs emiſſo, eam ducere.

5 Verius tamen eſt non diſſolvi, ſed adhuc priorem eſſe ducendam, quia injuria illata poſteriori, non aufert jus ſuum priori, nec eſt ſimile de voto, quia ex voto oritur obligatio ex ſola religionis virtute, ex promiſſione autem matrim. cum defloratione, ex juſtitia, cujus obligatio multo ſtrictior eſt: deinde prius votum non omnino aufertur, ſed ſuſpenditur per matrim. at in noſtro caſu utraque obligatio oritur ex juſtitia: & prior per ſequens matrim. omnino extinguitur: ut dixi diſp. præced. num. 3. Tandem, quia Deus non ita exacte promiſſionem ſibi factam impleri petit, ac homines, non enim cum damno, & injuria tertii impleri vult: homines autem propter injuriam alteri illatam jure ſuo privari nolunt. Sic *Sotus, Enriquez, Manuel num. 1. allegati.*

Ex quadam tamen æquitate aliquando ſervanda eſſet prior 6
opinio, ut quando deflorata gravem damnum pateretur, magnamque honoris jacturam, prior vero leviter læderetur: nam tenetur modicum illud damnum ſuſtinere, ad vitandum proximi graviſſimum. Sic *Lud. Lop. n. 1. allegatur*, & *Enriq. ibi cit.* ait, poſſe in hoc caſu judicem damnare, ut ſecundam ducat: & *in commento lit. F.* dicit poſſe conformari priori ſententiæ: Similiter ſi coram teſtibus pollicitus eſt poſteriori, priori vero occulte, & probabiliter timet fore, ut cenſuris cogatur ducere poſteriorem, vel aliud notabile damnum, poterit eam ducere: quia prior rationabiliter hoc velle debet, ſicut hic non tenetur ad alias reſtitutiones cum gravi jactura ſua, ita *Lud. Lop. ibid.*

DISPUTATIO L.

An priora ſponſalia diſſolvantur per poſteriora juramento firmata?

SUMMARIUM.

Prima opinio affirmans, num. 1.

Contraria verior, 2.

Ex parte alterius manent ſoluta, 3.

Quid ſi dum juravit poſteriora ſponſalia, ſuberat juſta cauſa ab eis recedendi, 4.

Quid quando priora ſponſalia contigerit diſſolvi, 1. *opinio teneri ad poſteriora, num.* 5. 2. *Verior non teneri, num.* 6. *& ibi promiſſio tempore inhabili facta, non obligat tempore habili.*

An juramentum de re illicita, vel impoſſibili, obliget, ve illa poſſibili, & licita facta, 5. *&* 6.

Solvuntur argumenta, 7.

1 ALiqui exiſtimant ſervandum eſſe poſterius promiſſum, & priori aliter ſatisfaciendum eſſe. Sic *Innoc. c. Veniens n. 1. de jurejur.* ubi *Imola, nu. 7.* dicit hoc poſſe ſuſtineri: & tenuit *Abbas antiquus, tefte Ant. c. Sicut de ſponſ. fins.*

Ceterum dicendum eſt prævalere priora ſponſalia, quia jura- 2
mentum illud fuit de re iniqua, & in præjudicium tertii, quo caſu nullo modo obligat, *reg. Non eſt obligatorium, de reg. jur. in 6. & c. Cum contingat, de jurejur.* Et ita tenent ex Theologis *D. Bonav. 4. d. 28. in expoſit. litteræ, Ricard. 4. d. 27. art. 3. qu. 4. fine*, & ibi *Palud. q. 1. art. 3. caſ. 6. nu. 24. Supplem. Gabrielis ibi, qu. 1. art. 2. D. Ant. 3. p. 1. t. c. 18. §. 1. & 2. Sotus 4. d. 27. qu. 2. art. 4. dub. 3. Viguer. l. Inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 7. Philiarc. de offic. ſacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 1. Enriquez lib. 11. de matrim. c. 13. n. 3. Manuel 1. to. ſumm. in 2. edit. c. 245. n. 9. Vivaldus cand. de ſponſ. 1 p. c. 4. nu. 24. Lud. Lop. 2. part. inſtruct. de matrim. c. 38 f. 1046. Bart. a Led. de matrim. dub. 13. caſ. 2. Vega l. 2. ſum. caſ. 497.* Et ex juriſperitis: *Innoc.* ſibi contrarius, *c. Sicut de ſponſ. nu. 1. Jo: Andr nu. 4. Ant. in ſu. Anchar num. 3. Abb. num. 8. Præpoſ. num. 5. Alex. de Nevo, num. 12. & 13. Idem Hoſt. c. Veniens, de jurejur. ſuper verb. Idem*: ubi *Jo: Andr. num. 7. Card. num. 3. Anchar. num. 6. Abb. nu. 6. Alex. de Nevo, c. Eo parte, de ſponſ. num. 19. & 20. Ang. verb. Sponſalia, num. 25.* ubi *Sylv. qu. 10. d. 3. Tabiena, qu. 6. num. 7. Armill. num. 7. Lex 8. t. 1. p. 4. Covar. 4. decret. 1. p. c. 4. initio, nu. 3. Perez lib. 5. ordinam. t. 1. l. 1. fol. 3. verſ. Ampliatur, Alex. Carverius lib. 1. de ſponſal. cap. 11. Gutier. de jur. 1. p. c. 51. n. 6. Lancelot inſtit. juris can. lib. 2. tit. de ſponſal. v. Compelli, Matienzo lib. 5. recop. tit. 1. rubr. gloſſ. 1. num. 44.*

Ex parte tamen illius, cui prior fides data erat, ſoluta 3
ſunt ſponſalia, dixi diſput. præced. num. 2.

Si autem dum contracta ſunt poſteriora ſponſalia, ſuberat 4
juſta, & ſufficiens cauſa recedendi a primis, tunc tenetur hic ad poſteriora; nam minime peccat poſteriora contrahens, ut bene docent *Sylv. v. Sponſalia qu. 10. d. 3.* quare ſponſalia erunt valida, & juramentum obligabit.

Gravius autem dubium eſt, quando ſecunda ſponſalia non 5
fuerunt valida: quia contrahens primis ligatus erat, nec erat juſta recedendi cauſa: utrum ſi ante celebratum matrim. cum priori diſſolvantur ſponſalia, teneatur hic ad poſteriora, nam teneri affirmat *Covar. 4. decret. 1. part. cap. 4. §. 1. num. 10.* & probat, quia licet priora vi ſponſalium non tenuerint, valuere tamen vi promiſſionis. 2. poteſt urgentius probari ex *c. Quidam, de converſ. conjug.* ubi ſi conjugatus in præjudicium uxoris profiteatur, non valet ut profeſſio, tenet tamen in præjudicium ſuum, ut votum caſtitatis: ergo ſimiliter poſteriora ſponſalia valebunt, in quantum non redundat in præjudicium priorum, quod contingit, ſi illi, ſoluti obligare dicamus. Tandem, quia juramentum rei illicitæ, ſi poſtea licita fiat, obligat: ut teſtatur *Navar. ſumm. Latin. cap. 12. num. uit.*

Verius tamen eſt, minime teneri. Quia priora minime value- 6
runt

runt etiam in ratione promiſſionis, cum rei illicitæ promiſſio fuerint & quod ab initio validum non fuit, tractu temporis non convaleſcit, *reg. Non firmatur, de reg. jur. in 6. & reg. Quod*
ab init. ff. eod. tit. Item ſi habens votum caſtitatis contrahat ſponſalia non tenetur ad ea, quamvis poſtea in voto diſpenſatus ſit, quia ab initio nulla fuerunt ratione impedimenti impedientis, ſed ſimiliter in noſtro caſu fuerunt nulla ratione impedimenti priorum ſponſalium, ergo. Item promiſſio emiſſa tempore inhabili, non obligat tempore habili: ut tradit *Abb. c. Placuit,*
n.4. de converſ. conjug. per illum text. & per c. Quidam, eo.tit. ex quibus conſtat, ſi conjugatus profiteatur, cum eo tempore ſit inhabilis, non teneri mortua uxore ad religionem redire. Tandem, quia votum de re impoſſibili non obligat, ea poſſibili facta, ut docuit *F. Peana*, quem refert, & ſequitur *Lud. Lop.*
1. p. inſtr. c. 43. verſ. Stultum eſt: ergo ſimiliter cum illa promiſſio fuerit illicita, quando poſtea licite impleri poſſit, non obligabit. Hoc tamen concedendum eſt priori ſententiæ, in ſpeciali caſu teneri, non ratione promiſſionis præciſæ, ſed ratione damni illati virgini deflloratæ, aut viduæ honeſtæ magnam famæ jacturam patienti: ut in ſimili dixi diſp. 48. num. 5.

7 Ad 1. argum. & 2. conſtat ex dictis nu. præced. utraque enim doctrina neganda eſt. Ad 2. dic cum *Navar. lib. 5. conſ. in 1. edit. tit. de converſ. conjug. conſ. 4. n. 3. in 2. vero conſ. 5. n. 3.* ubi ait votum conjugati caſtitatis in præjudicium uxoris eſſe validum, non tamen votum filii familiæs in præjudicium patriæ poteſtatis: quia ille potuit a principio ſe obligare ad partem in illo voto contentam, ſcilicet ad non petendum, hic autem ad nihil potuit ſe a principio aſtringere. Sic ergo in præſenti, cum aliis ſponſalibus ligatus nullo modo potuerit fidem ſuam alteri aſtringere, poſterior obligatio omnino eſt irrita.

DISPUTATIO LI.

Utrum ſponſalia ab impuberibus contracta diſſolvantur per ſolum diſſenſum alterius pubertatem adepti?

SUMMARIUM.

Quæ ſit dubitandi ratio, & quot quæſtiones diſputandæ ſint, n.1.
An cap. De illis, el 1. & cap. A nobis, de deſponſ. impub.
intelligantur de ſponſalibus infantium, 1. intellectus, 2.
2. Intellectus, 3.
Tertius intellectus, 4.
Textus intelliguntur de ſponſalibus ab impuberibus celebratis, 5.
Neuter poteſt ante pubertatem reſilire, at pubes factus quilibet, 6.
Non ſatis eſt mutuus conſenſus ad reſiliendum ante pubertatem, 7.
An prius adeptus libertatem, poſſit ſtatim reſilire. 1. opinio
non poſſe, 8.
Secunda verior poſſe, n.9. & ibi, fruſtra expectatur eventus,
cujus nullus eſt effectus.
Quid ſi pubes cum impubere contrahat, 10.
Et quid ſi cum infanti, 11.
Quid ſi pater pro impubere contrahat, 12.
Quid ſi impuberes contrahant per verba de præſenti, 13.
An exigatur, ut ſtatim ac pubertatem adepti fuerint, reſiliant, &
quando dicatur aliquid ſtatim, vel incontinenti, fieri, 14.
An deſideretur novus conſenſus poſt pubertatem, ut ſponſalia
irrevocabilia maneant, 15.
Quid ſi impubes diſſentiat ante pubertatem, nec diſſenſum mu-
tet, & factus pubes non amplius recordetur, 16.
Quid ſi factus pubes diſſenſit ſolum interius, abſque externo ſigno,
an ſatis ſit, vel ſit neceſſarium coram judice reclamare, 17.
Poſt quem invenies cetera ſummaria.

DUbitandi anſam nobis præbent *c. De illis, el 1. & c. A nobis, de deſponſ. impub.* ubi dicitur, impuberes reſilire non poſſe ante pubertatem a ſponſalibus contractis: ea vero adepta, poſſe. Unde 3. quæſtiones agitandæ ſunt. I. an hi textus intelligantur de ſponſalibus infantium, vel impuberum. II. an concedant impuberibus facultatem reſiliendi in utroque foro, vel ſolum in externo. III. an impuberum ſponſalia juramento firmentur, ita ut neutri liceat amplius reſilire.

2 Quæſtio I. Utrum prædicti textus intelligantur de ſolis infantibus ſponſalibus, aliqui id cenſent. Sic *Laurentius, & Vincentius ſponſalibus, aliqui id cenſent. Sic Laurentius, & Vincentius* ſponſalibus, aliqui (ut refert *Hoſtien. ſum tit. de deſponſ. impub. §. Quid juris, n. 11.*) & videtur tenere *D. Th. 4. d. 27. q. 2. art. 3. Quid juris, n. 11.*) & videtur tenere *D. Th. 4. d. 27. q. 2. art. 3. ad 8.* ait enim infantes contrahentes ſponſalia, petituros eſſe diſſolutionem, ætatem legitimam adeptos, ne approbare videantur: fuerit enim quidam ſponſalium modus, & eodem pacto interpretantur hos textus, *Navar. ſum. Hiſp. c. 22. nu. 24. caſu 16. Enriq. lib. 11. de matr. c. 14. n. 7. Philiar. de offic. Sacerd. to. 1. p. 1. l. 2. c. 1. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 245. n. 7.*

3 Alii vero interpretantur hos textus de ſponſalibus, non per ipſoſmet impuberes, ſed per alios ipſorum nomine contractis. Sic *D. Th. ead. q. 2. art. 2. ad 1. Durandus 4. d. 27. q. 3. art. 3.*

4 Alii vero quos refert *Goffred. ſum. tit. de ſponſ. impub. nu. 8.* dicunt intelligi de impuberibus contrahere intendentibus ſolum matrim. cum enim illud invalidum fuerit defectu ætatis, nec valuerit ut ſponſalia defectu intentionis, poſſunt adepti pubertatem reſilire.

5 Sit tamen I. Concluſio, prædicti textus intelliguntur de impuberum ſponſalibus. Probatur, quia *d. c. De illis, verſ. Si vero*, ſic dicitur, *intra eoſdem pubertatis annos altero exiſtente, cum ſponſalia contrahunt*: at infantes nequeunt ſponſalia contrahere. Idem deciditur ibi, neutrum poſſe ante pubertatem reſilire, ſed ſi eſſent ab infantibus contracta, cum prorſus irrita ſint, ſemper reſilire poſſent. Sic docent *Gloſſ. d. c. De illis, in caſ. poſitione, & ibi Hoſt. init. & ſuper verb. Pervenerit, Joannes Andr. nu. 4. Innoc. init. Anton. n. 5. Anchar. init. & nu. 2. & 3. 4. Card. n. 2. Abb. init. Henric. nu. 3. Alex. de Nevo nu. 14. Præſp. n. 1. idem Hoſtien. ſum. tit. de ſponſ. impub. §. Quid juris, n. 11. Goffred. ſum. eod. tit. nu. 8. Roſella Matrim. 2. n. 6. Angel. verb. Sponſalia, n. 27.* ubi *Silv. q. 10. caſ. 12. Tabien. q. 9. n. 10. caſ. 8. Armil. n. 13. Covar. 4. decr. p. c. 5. §. 1. nu. 1. Greg. Lop. l. 7. v. Exceſſat. t. 1 p. 4. Navo. ſum. latin. c. 22. n. 17. caſ. 6. & l. 4. conſ. tit. de ſponſ. impub. in 1. edit. conſ. 2. in 2. conſil. 1. Guttier. q. can. lib. 1. c. 18. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. rubr. gl. 1. n. 51.* & ex Theologis, *Palud. 4. d. 27. qu. 1. art. 3. caſ. 10. n. 28. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 18. §. 1. caſ. 8. Sot. 4. d. 27. q. 2. art. 5. verſ. Tametſi, Veracruz 1. p. ſpeculi, art. 21. caſ. 14. Petr. de Ledeſ. de matrim. q. 43. art. 3. caſ. 10. Vival. candel. part. 1. de ſponſ. c. 5. n. 44. Vega lib. 6. ſum. caſ. 105. Bart. a Ledeſ. dub. 11. de matrim. poſt 4. concl. Lud. Lop. 2. part. inſtr. de matrim. c. 38. f. 1049. fine.*

II. Concluſio, ſi duo impuberes ſponſalia contrahant, neuter poteſt ante pubertatem reſilire, pubes tamen factus, poteſt quilibet: habetur *c. De illis, el & c. A nobis, de deſponſ. impub.* Et ratio prioris partis ea eſt, ne propter ætatis fragilem inconſtantiam ſæpe contrahant, totieſque a contractu reſiliant: poſterioris autem partis ratio eſt, quia quamvis jure permittente impuberes vere ſponſalibus aſtringantur, idem tamen jus voluit, ob immaturum judicium ne ita firma eſſent, quin eorum cuilibet pubertatem adepto reſilire liceret. Sic *Gloſſ. Hoſtienſ. ſuper v. Negaverit, Innoc. Joan. Andr. Anchar. Cardin. Abb. Henric. Præpoſ. D. Anton. Roſel. Silv. Tabien. Armill. Covar. Veracruz, Bart. a Ledeſ. Vivald. Vega, Lud. Lop. nu. præced. allegati, Anton. Cucus lib. 5. inſtit. major. tit. 10. n. 76.*

Hinc infertur, non ſufficere mutuum impuberum conſenſum, ut ante pubertatem reſilire poſſint, conſtat ex *d. c. De illis*, ibi, *uterque, ſive alter reclamet*, & ratio eſt, ne ob debile judicium, paſſim contrahant, & reſiliant. Sic *Hoſt. d. c. De illis, ſuper v. Negaverit, Joan. Andr. nu. 4. Anton. n. 5. Anchar. n. 2. & 4. init. Abb. n. 5. Præpoſ. nu. 1. notab. 1. Henr. nu. 3. Palud. Covar. Vivald. Lud. Lop. Vega, citat. n. 5. Ant. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 10. nu. 76. Enriq. lib. 11. de matr. c. 14. nu. 6. init. in commento lit. Z.* quamvis *idem Enriq. cod. c. 14. n. 7.* ſibi contrarius, dicat poſſe ex mutuo conſenſu reſilire, per *d. c. De illis*, quod tantum abeſt, ut hoc probet, ut oppoſitum expreſſe decidat, & ita credo eſſe errorem typographicæ.

Utrum autem pubertatem prius adeptus, poſſit ſtatim reſilire, non conſtat: nam *Gloſſ. d. c. De illis, verb. Cum ſponſalia, & ibi Card. nu. 2.* credunt non poſſe, donec alter pubeſcat, quia alias nulla conſtitueretur differentia inter *verſ. Si vero, & verſ. ult. ejuſdem c. De illis.*

III. Tamen concluſio ſit. Prius pubes factus, poteſt ſtatim reſilire, nec tenetur pubertatem alterius expectare: ut clare videtur decidi *d. c. De illis, verſ. Si vero:* & conſtat differentia inter illum, & verſult. nam *verſ. Si vero*, loquitur textus, quando is, qui tempore ſponſalium erat impubes, factus pubes, reclamat: at *verſ. ult.* quando ſponſalium tempore pubes erat, & reclamat altero impubere exiſtente. Probatur etiam ratione, quia fruſtra expectatur eventus, cujus nullus eſt effectus, *c. Cum contingat, de offic. deleg.* ergo ſi prius factus pubes, poteſt, altero pubertatem adepto, reclamare, poteſt ſtatim. Sic gloſſ. ſibi contraria, *d. c. De illis v. Minoris*, ubi *Hoſtien. ſuper v. Negaverit, Jo. Andr. nu. 4. Anchar. num. 2. Abb. nu. 5. Henric. nu. 4. Alexan. de Nevo nu. 15. & 16. Palud. Roſell. Angel. Silv. Tabien. Armil. Covar. nu. 2. Lud. Lop. fol. 1050. Vivald. & Vega, alleg. n. 5.* idem ſequitur *Lex 8. t. 1. p. 4. Brun. de ſponſal. concl. 7. n. 1. Anton. Cucus lib. 5. inſt. major. t 10. num. 80.* & potius dicendum eſt teneri ſtatim ac pubes factus fuerit, reſilire, alias non poſſe: ut bene *Covar. n. 2.* & dicemus num. 14.

IV. Concluſio. Pubes cum impubere contrahens, nunquam reſilire poteſt, id autem licet impuberi, cum pubes fuerit, & non antea, habetur expreſſe *d. c. De illis, verſ. Mulier.* Et ratio eſt, quia contractus poteſt in minoris favorem claudicare: ut ſi minor abſque tutoris authoritate, & major contractum ineant, illi ſoli reclamare permiſſum eſt, *l. Non eo minus, C. de procur.* ſic *gloſſ. d. c. De illis, verſ. Semel*, ubi *Hoſt. ſuper v. Negaverit, Innoc. init. Jo. Andr. n. 4. Anchar. nu. 4. Cardin. nu. 2. Henr. n. 5. Alex. de Nevo, nu. 16. Præpoſ. nu. 1. Roſella, Angel. Silv. Armil. Tabien. Covar. nu. 5. Veracruz, Lud. Lop. fol. 1050. Petr. de Ledeſ. allegati n. 5. Navo. lib. 4. conſil. tit. de ſponſ. impub. in 1. edit. conſ. 2. in 1. conſ. 1. Bart. a Led. dub. 13. de matrim. caſ. 13. Enriq. lib. 11. de matr. c. 13. n. 5. & c. 14. n. 7. Vega lib. 6. ſum. caſ. 107.* Addunt & bene, *Alex. de Nevo, & Navar.* etiam de conſenſu impuberis non poſſe puberem reſilire: quia ob fragilem ætatem impubes conſenſu ſufficienti ad ſponſalium diſſolutionem caret: ut diximus n. 9.

V. Concluſio, ſi major ſeptennio contrahat cum infanti, non poteſt reſilire, donec infans ſeptennium habeat, & tunc eo volente, tenetur promiſſis ſtare, ut late probavi ſupra diſp. num. 17.

VI. Concluſio, ſi parentes pro impubere ſponſalia contrahunt, quoties valida ſunt, non poteſt impubes reſilire, donec pubeſcat: ſecus quando invalida ſunt (quando autem ſint valida, dixi diſp. 23. n. 3. & 17.) Sic *Jo. Andr. c. De illis, el 1. de deſponſ. impub. nu. 4.* ubi *Anchar. n. 4.* & hoc pacto intelligendus eſt *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 13. n. 6.* ubi abſolute dicit non poſſe impuberem ante pubertatem reclamare.

13 VII. Concluſio, ſicut a ſponſalibus veris non licet reſilire ante pubertatem, ita nec a præſumptis: ut ſi impuberes contrahant per verba de præſenti habetur expreſſe *cap. A nobis, de deſponſ. impub.* & docet ibi *Hoſt. & Innoc. fin. Anton. n. 2. Cardin. n. 1. Abb. n. 2. Alex. de Nevo n. 7. Præpoſ. c. De illis, el 1. n. 2. de ſponſ. impub. Tabien. v. Sponſalia q. 9. n. 10. caſ. 8. Covar. 4. decr. 1. p. c. 5. §. 1. n. 1. Ant. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 10. n. 80.*

14 VIII. Concluſio, dum diximus concluſionibus præcedentibus poſſe impuberem factum puberem a ſponſalibus reſilire, intelligendum eſt, ſi ſtatim pubertate adepta reſiliat: alioquin poſſea non poterit. Quia ex quo ſtatim non contradixit, viſus eſt tacite conſentire. Sic *Hoſt. d. c. De illis, init. ſuper ver. Antequam*, ubi *Jo. Andr. nu. 2. Ant. nu. 3. Anch. nu. 2. & 4. Henr. n. 5. Alex. de Nevo, num. 15.* & licite *idem A. c. ex litteris, de ſponſal. impub. ad fin.* dubitaverit, & potius inclinaverit poſſe quandocunque reſilire, niſi ſimultanea habitatio fuerit: at tandem concludit, tenendum eſſe debere in puncto pubertatis reſilire: idem *Covar. 4. decret. 1. p. c. 5. §. 1. n. 2. Lud. Lop. 2. p. inſtr. de matrim. c. 38. f. 1050.* idem videntur tenere *Ang. v. Sponſalia, nu. 47.* ubi *Silveſt. q. 10. Navar. ſum. c. 22. Hiſp. nu. 23. Lat. 26. Veracruz 1. p. ſpecul. ar. 31. caſ. 14. Bart. a Ledeſ. de matr. dub. 1 3. caſ. 13.* dicunt enim oportere diſſenſum eſſe, antequam tacite vel expreſſe conſenſus præbeatur; idem videtur tenere *Sotus 4. d. 27. qu. 2. art. 5. verſ. Tametſi*, dicit enim dirimi ſponſalia, ſi annos pubertatis ingreſſus illico diſſentiat. Statim autem intelligitur, triduo ante, vel poſt pubertatem, ſic *Hoſtienſ. Joan. Andr. & Anchar. nu. 4. ibid.* & quamvis ipſi non probent, poteſt probari, quia in jure dicitur in continenti aliquid fieri, quod intra triduum fit, *l. fin. C. de errore advocatorum*, ibi, *incontinenti, id eſt triduo. & l. fin. C. de judiciis*, ibi, *illico autem, id eſt, intra triduum.* Et confert doctrina *Bald. ibi, & Felin. c. Veniens el 2. de teſtib. nu. 15. fin. Ripa lib. 4. §. Condemnatum, ad fin. ff. de re judic. Mandoſii de monitoriis, q. 31. n. 8.* ubi docent dici incontinenti probari, quod intra triduum probatur.

15 Hinc inferur non eſſe opus, ut factus pubes ſponſalia ratificet, ſed eo ipſo quod non reclamet, manere indiſſolubilia. conſtat ex *d. c. De illis, el 1.* ibi *ſi cum ad annos pubertatis venerint, reclamaverint, ſeparentur*, ergo ad diſſolutionem reclamatio deideratur, ſecus autem ad omnimodam firmitatem. Et ratio eſt, quia ideo ad matrim. requiritur novus conſenſus, quia ante pubertatem contractum, invalidum erat; ergo cum ſponſalia valida fuerint, non petunt novum conſenſum, ut ade pta pubertate, omnino firma ſint. Sic *Hoſt. d. c. De illis, ſuper verſ. Si vero, & colligitur expreſſe ex univerſis DD. num.* præc. allegatis, cum petant, ut pubes factus ſtatim reclamet, ad ſponſalia diſſolvenda.

16 Rogabis tamen quid dicendum, ſi impubes ante pubertatem reſiliat a ſponſalibus, & poſtea non mutet eum diſſenſum, nec amplius recordetur poſt pubertatem, an maneant diſſoluta ſponſalia: videtur enim non manere, quia ille non diſſenſus non ſufficiens fuit, cum ante pubertatem fuerit, ergo cum factus pubes non reclamaverit, jam videntur omnino firma manere. Item quia alias vanum eſſet, & inutile dicere, non poſſe reſilire ante pubertatem. Sed credo manere tunc diſſoluta. Prob. etiam ratificantur, & firma fiunt ſponſalia, non reclamando in puncto pubertatis, quia eo ipſo, quod non reclamat, videtur in ea voluntate perſiſtere: & ita aliqui DD. (ut retulit nu. 14.) dicunt oportere impuberem reclamare, ar. tequam expreſſe, vel tacite per lapſum temporis conſentiat: at quando impubes diſſentit, & amplius non mutat voluntatem, jam non in priori aſſenſu videtur perſiſtere, & ſic non inducetur tacitus conſenſus, ſed in diſſenſu videbitur perſeverare. Hujus ſent. videntur *Hoſt. c. De illis, el 2. paulo poſt princ. de ſponſ. impub.* ubi *Ant. nu. 3. & Alex. de Nevo nu. 16. Præpoſ. nu. 1.* ubi docent non ſatis eſſe reclamare ante pubertatem, ad ſponſalia diſſolvenda, prodeſſe tamen ne impubes cenſeatur adepta pubertate conſentire, & ad declarandum voluntatem, in qua præſumitur perſeverare, & ut impediatur ratificatio per ſapervenientiam pubertatis, & ideo conſulunt, ut ſæpe reclamet. Nec obſtant in oppoſitum adducta, fateor enim per diſſenſum ante pubertatem, non diſſolvi, ſed per habitum pubertatis puncto, cum in illo videatur perſeverare. Nec vanum eſt dicere antea non diſſolvi: quia ſi ante pubertatem diſſolverentur, poſſent tunc alia valide contrahi, & poſt diſſenſum illum, oporteret denuo illa contrahere, ut valida ſint: cum tamen adhuc exiſtente diſſenſu ante pubertatem, ſponſalia firma ſint, ſi alia contraherentur, eſſent irrita, & ſatis eſt mutare voluntatem perſeverando in priori conſenſu, ut veniente pubertate, omnino firma & indiſſolubilia maneant.

17 Tandem non immerito dubitabis, quid dicendum ſit, ſi impubes toto tempore præcedenti perſtitit in ſponſalibus, at factus pubes, ſtatim interius diſſenſit, utrum hoc ſatis ſit pro foro conſcientiæ? Videtur enim non ſatis eſſe, per *c. De illis, el 1. de deſponſ. impub.* ibi, *ſi reclamaverint, judicio Eccleſiæ ſopaventur*: ubi *Hoſt. ſuper v. Negaverit, Ant. n. 50. Jo. Andr. n. 3. Henr. n. 6. Præp. n. 5.* dicunt, hanc reclamationem debere fieri coram Epiſcopo, vel ejus Vicario, & ipſis denicentibus, coram honeſtis perſonis, ut in appellatione contingit, juxta *cap. fin. & inobedientia, de appel.* ergo videtur hæc reclamatio neceſſaria. Præterea *D. Ant. 3. p. t. 1. c. 18. §. 1. caſ. 8. Angel. v. Sponſalia, n. 37.* ubi *Silv. q. 10. caſ. 12. Tabien. q. 9. n. 10. caſ. 8. Armil. n. 13. Bart. a Led. de matr. dub. 13. caſ. 13.* tractantes quando per diſſenſum puberis diſſolvantur ſponſalia ante pubertatem inita: dicunt id contingere, dum petit a judice ea diſſolvi, & *Nav. ſum. c. 22. Hiſp. n. 24. Lat. n. 27. caſ. 6.* dicit diſſolvi per abſolutionem factam a judice; ergo ſentiunt non ſat eſſe diſſenſum internum. Credo tamen ſatis eſſe pro foro conſcientiæ: quia (ut dixi n. 14.) ideo ſponſalia manent firma, dum impubes factus pubes non reclamat, non tacite videtur conſentire, ſed in hoc caſu nullus eſt tacitus conſenſus coram Deo, ſed expreſſus diſſenſus; ergo non ratificantur. Præterea, quia DD. n. præc. allegati, ideo aſſerunt prodeſſe reclamationem ante pubertatem, ne pubes videatur ratificare, ſed dum eſt diſſenſus internus, deficit ratificatio in foro conſcientiæ, ergo. Tandem: quia reclamatio illa coram judice, videtur ſolum ad forum externum deſiderari, ut judex pro diſſolutione ſententiam ferat: & ſic intelligendi veniunt DD. citati reclamationem illam petentes.

SUMMARIUM.

Utrum textus permittentes impuberibus, adepta pubertate reſi-
lire a ſponſalibus, loquantur permiſſive, & in foro externo,
1. opinio affirmant, n. 18.
Secunda verior, n. 19. & ſolvuntur argumenta, n. 2.
Poſt n. 20. invenies ſummaria, quæ deſiderantur.

QUæſtio II. Utrum jura concedentia impuberibus adepta pubertate poſſe a ſponſalibus antea initis reſilire, loquantur permiſſive & in foro externo? quidam enim affirmant. Prob. quia ridiculum videtur, & rationi diſſonum aſſerere valida eſſe impuberum ſponſalia; & minime obligare tempore, quo implenda ſunt, ut vanus eſſet contractus, ſi toto præcedenti tempore validus eſſet, eo tamen quo implendus eſſet, non obligare. Et confir. quia nullus ſponſalia contrahit, ut inde oriatur honeſtatis publicæ impedimentum, ſed vera contrahendi matrimonii obligatio, 2. quia *c. De illis, el 1. de deſponſ. impub.* ubi hæc diſſolutio permittitur, non videtur loqui in foro conſcientiæ, ſed tantum compulſionem fori externi denegare. Quare. *Gl. ibi, v. Judicio, in fin.* ponderans ea verba textus: *ſi reclamaverit nec voluerit in alterum conſentire, poterunt judicio Eccleſiæ ſeparari*: inquit hæc, *ſi juramentum non intervenit, non ſunt invitis compellendi, quia invite nuptiæ ſolent exitus dubios habere*: ubi aperte videtur ſentire tantum eſſe pœnitentiam, & denegari compulſionem, timore infelicis exitus: & hoc aperte ſonant illa verba textus citata, quaſi dicat, ſi rebelles fuerint, permittatur eis ſeparatio. Pro hac ſententia videtur *Ant. d. c. De illis, n. 5. & Alex. de Nevo n. 14.* ubi aſſerunt impuberes, ſi doli capaces ſint, non poſſe abſque cauſa poſtea reſilire: & tenet expreſſe *Hugo* (ut refert *Henr. c. 2. de ſponſ. n. 7.*) idem *Anglet florib. 1. p. q. 1. de eſſentialibus matrim. ar. 4. diffic. 2. f. 535. concl. 2.*

Dicendum tamen eſt, textus procedere in utroque foro, & proinde ex ſolo impuberis diſſenſu adepta pubertate abſque alia cauſa ſolvi licite ſponſalia. Probatur, quia ex ſola reclamatione alterius pubertatem adepti, habetur *d. c. De illis*, ſponſalia eſſe diſſolvenda: & *c. A nobis, de deſponſ. impub.* habetur idem, ſi autem eſſet ſolum permiſſio, prius monendus eſſet reſilliens, ut dicitur *c. Exlitteris, el 2. & c. Requiſivit, de deſponſ.* Præterea quia hoc conceſſit jus ut immaturo puerorum judicio conſuleret, ne tanto vinculo indiſſolubiliter obligari poſſint, ſed non ſatis conſultum eſſet ſola permiſſione, exceptis enim lethaliter, reſiliendo. Tandem quia eodem pacto conſulnit jus pueris circa ſponſalia, quo circa vota: ſed hæc licet valida ſint, poſſunt ex ſolo patris, vel tutoris conſenſu ceſſari in utroque foro; ergo ſimiliter ſponſalia impuberum poſſunt in utroque foro, diſſolvi, ipſis impuberibus pubertatem adeptis diſſentientibus. Sic tenent *Henr. c. 2. de ſponſal. num. 9. Sum. confeſſ. tit. de ſponſ. q. 17. Palud. 4. d. 27. q. 1. art. 3. caſ. 10. n. 28. Lud. Lop. 2. p. inſtr. de matr. c. 38. f. 1049. fin.*

Ad 1. Arg. ex propoſitis n. præc. negatur antecedens: quia ille contractus ſponſalium habet nunc effectum, ut toto tempore præcedenti ante pubertatem, omnino obliget, & impediat alia ſponſalia contrahi valide, & faciat oriri impedimentum publicæ honeſtatis, nec datur omnimoda libertas poſt pubertatem, ſed tantum ſtatim, ut diximus nu. 14. Sicut non eſt vanum impuberis votum, quamvis ad libitum poſſit a patre, vel a tutore irritari. Ad confir. conſtat ex dictis, quia ſponſalia impuberum non tantum eum effectum habent. Ad 2. gloſſa non favet illi ſententiæ, indifferenter enim de impuberibus, & de puberibus loquitur, quia in ea eſt opinione, ut ad nulla ſponſalia etiam puberes cogendi ſint, niſi juramento firmentur: nec textus favet, ut probavi nu. præced.

SUMMARIUM.

An ſponſalia impuberum firmentur juramento, 1. opinio negant,
num. 21. 2. Aſſirmans, & verior, 22.
An exigatur, ut ſint dolo capaces, & quando tales dicantur,
2. opinio, dici tales poſt ſeptennium, 23. 2. Verior, 24.
ubi explicatur, quando puer dicatur proximus pubertati.
Quando non ſunt proximi pubertati, an negant juramenti re-
laxatione, 25.
Solvuntur argumenta, & explicantur, cap. Pueri, & cap.
Parvuli, 22. q. 5. n. 26.

Qua-